






Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 811 8° copy 5






Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 811 8° copy 5



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 811 8° copy 5



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 811 8° copy 5

COMMENTARII
IN EPISTOLAS
PAULI AD TIMOTHE-
VM DVAS, AD TITVM VNAM,
ad Philemonem vnam,
scripti A

NICOLAO HEMMINGIO.



1. Timoth. 3.

Stude te ipsum probatum sistere Deo.

WITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M, D, LXVI.

LN 804
ex 3

EV E
SAPIE
te prefant
Robilder
Frederici I I.
bimo, frat
pacer
NICOLAV



in Eccl
ment : pauc
pendunt: pa
, & pie i
qui buiu
, & cup
prorsus
ant: ex qu



Kay Haegs Samsing
1970.

REVERENDO

VIRO, SAPIENTIA, DOCTRINA,
ac pietate præstanti Magistro Nicolao Nicolai
Canonico Roschildensi dignissimo, ac concionatori

D. Frederici I I. Regis Dania, &c. fide-
lissimo, fratri suo gratiam &
pacem precatur

NICOLAUS HEMMINGIUS.



Vantum onus, vir or-
natissime, quam diffi-
cile, quamq; periculis
plenum, sit ministeri-
um verbi, & docendi
munus in Ecclesia, multi prorsus
ignorant: pauci, vt par est, minimè
perpendunt: paucissimi, & rectè no-
runt, & piè iudicant. Multi enim
sunt, qui huius mundi illecebris in-
escati, & cupiditatibus abrepti, o-
mnem prorsus religionis curam abie-
cerunt: ex quo fit, vt de sanctissimo

A 2 docendi

EPISTOLA

docendi munere in Ecclesia non se-
cus iudicare possint, quàm cæci de co-
loribus, in horum numero sunt non
solum manifesti hostes Ecclesiæ, ve-
rum etiam Ecclesiæ membra quæ-
dam sed mortua, vt sunt Hypocri-
tæ, Epicuræi, Sycophantæ, Alasto-
res. Pauci tametsi aliquo religionis
studio tenentur, & exiguas quas-
dam spiritus primitias habere vi-
dentur: dignitatem tamen ministerij
& oneris grauitatem haud ita vt de-
berent æstimant. Satis enim esse pu-
tant, si sunt qui præsumt ceremonijs
sacris: Si sunt qui publicas dema-
goreas habeant: Si sunt qui canant
in templis: De alijs ad hoc arduum
officium spectantibus, nihil aut pa-
rum solliciti. Paucissimi vtpote verè
pij, cum Deum ministerij verbi au-
torem

DEDICATORIA.

torem agnoscunt, cum scopum & finem rectè perpendunt, cum necessitatem considerant, cum exempla Prophetarum, Apostolorum, & multorum Sanctorum intuentur, cum insidias Diaboli cogitant, cum imbecillitatem hominum, & multiplicem infirmitatem experiuntur, dignè de munere docendi in Ecclesia iudicare incipiunt. Hoc cum faciunt, facilè animadvertunt nullum in mundo munus vel maius vel difficilius, vel periculosius esse, quàm sustinere vicem filij Dei in Ecclesia, atq; eam regere doctrina, & graui, vt decet disciplina.

Magnitudo muneris docendi in Ecclesia in duobus cernitur, videlicet in destructione, & in edificatione. Vt enim destruendū est regnum

A ij Sata

EPISTOLA

Satanæ, ita ædificandum est regnum DEI & Christi eius. Quantum autem opus sit utrumq̃, ex his verbis Pauli intelligi potest. In carne, inquit, incedentes, secundum carnẽ bella non gerimus. Arma. n. militiæ nostræ nõ carnalia sunt, sed Dei potestate valida, ad subuersionem munitio-
nem munitionum, dum ratiocinationes euertimus, omnemq̃ sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem DEI, captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo. His verbis Apostolus satis ostendit, quantæ molis sit Christianam condere gentem, hoc est, destruere regnum Satanæ, ac Christi regnum ædificare. Quanquam autem facile videtur hoc efficere, si ducem belli respicimus, & arma, quæ Apostolus

Stolus

STOLA
edificand
Christi em
is sit vtrunq
ntelligi potest
edentes, secun
gerimus. Arma
carnalia sum
alida, ad ju
num, dum rati
, ommemq
litur aduer
I, captiuam
ionem ad obe
verbis Aposto
tae molis sit
rentem, hoc est
Satanae, ac Ch
e. Quamquam
hoc efficere, q
& arma, qu

DEDICATORIA.

Stolus dicit potestate Dei valida esse: Tamen nihil magis arduum esse potest, quando nostras consideramus vires, quibus destruendi regni Satanae & edificandi regni Christi cura demandata est. Facile quidem fateor Christo duci esset, vel vno fulmine regnum Satanae prosternere, si sua diuina potentia ad hoc vti vellet: Sed quia omnia ordinata creauit, vult etiam suam ecclesiam ordine colligi. Non igitur sua potentia inuincibili cogit homines, vt à Satana deficient, ac se regem agnoscant, sed rem vult agi verbo, in quo Spiritus sanctus est efficax, & ministerio hominum, quibus demandat, vt & regnum Satanae verbo inuadant demolianturq;, & regnum suum verbo extruant in eorum salutem, qui

A 4 per

EPISTOLA

per fidem in illud recipiuntur. Hinc
apparet quantus sit labor vtrumq̃:
hoc est, & regnum Satanae de-
struere, & Christi regnum rur-
sus erigere.

Porro vbi partem regni Satanae
minister Euangelij demolitus fue-
rit, & regnum Christi vtcunq̃ ex-
truxerit, non est statim defunctus
architecti munere. Nam & Satan
perpetuò vt recuperet sua, satagit,
ideoq̃ occultas insidias struit, & sa-
epe exploratores, qui fingunt defecti-
onẽ, in castra Christi mittit, vt clan-
culum multorum animor lethalibus
suis telis vulnerent, ac tandem pro-
stratos à Christo abducant. Tales ex-
ploratores sunt multi, qui Christo
militare se falsò gloriantur, quales
sunt illi, qui vel hæretica doctrina,
vel

DEDICATORIA.

vel hypocrisi, vel sycophantijs, vel
flagitijs concutiunt regnum Christi,
& haud paucos furtim trucidant &
interimunt, qui has insidias Satanae
cogitat, qui has proditiones occultas
perpendit, facile cogitat magnum ab
architecto regni Christi requiri la-
borem & perpetuas excubias, ut
internas proditiones deprehendat,
& maturè se machinationibus oc-
cultis opponat: ne quod ipse die ex-
truit, hoc astu aduersarij noctu de-
struatur. Hinc apparet quòd hanc
diuinam architectonicam nemo fe-
liciter exercere possit, nisi qui in
schola Christi diu est versatus, &
longa experientia didicit, quibus
technis ac cuniculis Ecclesiam Chri-
sti soleat Satan subruere. Minus pe-
riculi esset si Satan, qualis est, rectà

A 5 ferre-

EPISTOLA

ferretur in hostem, sed iam ut est
versutissimus, interdum ex insidijs
adoritur hostem, interdum palam
prodit, sed larvatus, nam angeli per-
sonam induit, quo pretextu sancti-
tatis multos in sua castra alliciat.
Hinc in Ecclesia tot haereses emerse-
runt, tot lustra monachorum prodie-
re, tot votorum genera nata sunt, tot
superstitiones & ἐθελοθρησκείαι o-
mnibus temporibus extitere. Hinc
missæ, hinc inuocationes Sanctorū,
hinc purgatorium, breuiter infinitæ
insidia, pretextu sanctimoniae, Ec-
clesiæ Christi struuntur, quibus o-
mnibus se opponet speculator Ecclē-
siæ Christi, & verbo Dei in scriptis
Propheticis & Apostolicis nobis
commendato, tanquam acutissimo
gladio vtrinque secante spectra ista
Dia

DEDICATORIA.

Diabolica inuadet: cauebitq̄ ne Satan ficto splendore oculos sibi fascinet. Interdum alia via aggreditur et obijcit Ecclesie ignominiam crucis, obijcit scandala, obijcit pompam sui regni, obijcit maculas veræ Ecclesie. Hic nisi vt miles peritus & fortis se opposuerit minister Euangelij, magnam ruinam Ecclesie videbit. Hic proinde opus est armis spirituales, quibus repelli possit à castris Christi Diabolus, qui πόλεμον άσπονδον cum Ecclesia gerit. Hic si speculator Ecclesie stertit, Quid est sperandum? imò quid potius non est metuendum? Quid si vino quotidie mardet? Quid si ipsius exemplo ciues Ecclesie ad omnem intemperantiam & turpitudinem inuitantur? O quam misera est Ecclesia Christi, cui talis
contin-

EPISTOLA

cōtingit speculator. Quid quæso aliud
 fieri potest, q̄ quod scribit Virgilius
 de Troia capta, inuadunt (inquit)
 Urbem vino somnóque sepultam?
 Stant, inquires, muri, quid periculi
 est? muri Ecclesiæ non sunt lapideæ
 structuræ, sed mores sancti, quales
 requirit tam sancta professio. Nam
 quod Scipio præclare de republica
 dixit, tunc esse rempublicã, hoc est,
 rem populi, cum benè ac iustè geri-
 tur: Hoc rectissimè ad Ecclesiam
 refero, & tum demum esse Ecclesi-
 am statuo, cum pijs & sanctis mo-
 ribus viuitur, cum ab omnibus alijs,
 tum præcipuè ab ipsis speculatori-
 bus qui Ecclesiæ præsunt, vt eam de
 structo Satanae regno ædificent, ful-
 ciant, conseruent, tueantur aduersus
 velitationes, incursiones, & oppu-
 gnatio=

DEDICATORIA.

gnationes Satanae, qui omnium pri-
mum insidias ponit speculatoribus,
vt ipsis captis, reliquos facilius de-
predari possit. Hinc est quod & do-
ctrinam pervertere, & mores cor-
rumpere ministrorum Euangelij
perpetuò studeat. Alterutrum ho-
rum ubi effecerit, viam sibi fecit &
aditum in Ecclesiam. Ex his mani-
festum est, esse & arduum opus, &
difficile, Ecclesiam Christi aedifica-
re, & conseruare. Iam de periculo di-
cam, quo planè nullum maius esse
potest. Nam si quis officium, vt de-
cet, fecerit, corpori et fortunis ipsius
metuendum est, Sin autem pactum
leui violauerit & in officio infidelis
fuerit, anima iacturam faciet. Pro-
pheta Dei, Apostoli & multi san-
cti viri acerbissima passi sunt sup-
plicia

EPISTOLA

plicia. Quare? Quia officio suo rite
 perfuncti sunt. Contra verò qui dif-
 ficiliorem officij partem præterie-
 runt securè, & in magna gratia ho-
 minum vixerunt. Propheta DEI
 non sunt affecti supplicio, quia Mo-
 sen enarrârunt, & ad pietatem hor-
 tati sunt homines: nec quia peccata
 promiscuè taxârunt, sed quia tene-
 bras condemnârunt, & improbos
 mores hominum vituperârunt, idque
 non tantum in vniuersum, quod sine
 periculo fieri potuit, sed etiam sigil-
 latim, ostendendo singulis sua crimi-
 na, ac comminando ipsis iram Dei et
 damnationem. Iohannes fuit in præ-
 cio apud Herodem aliquandiu. Non
 offendeat tyrannum hac concione,
 pœnitentiam agite, appropinquat re-
 gnum cœlorum. Sed cum diceret, tu
 habes

DEDICATORIA.

habes uxorem fratris tui, quod tibi non licet, mox in carcerem coniectus est, & paulò post ad petitionem puella obtruncatus capite, atq; ita corporis quidem iacturam fecit, sed animam suam seruauit. Verùm multi proh dolor rationem cum habeant corporis, & aliorum commodorum presentis vitæ, vt fauoris, diuitiarum, honoris, quietis, voluptatum, &c. iacturam animæ faciunt suæ. Nam sua ingratißima prodicione in æternas incurrunt pœnas. Quod sanè mirum non est, nam non solum fraudulenter faciunt opus Domini, quam ob causam maledictioni iustè obnoxij sunt: Verum etiam castra Christi turpiter hostibus aperiunt: tollunt perfidè præsidia: recipiunt proditorie hostem: accendunt crudeliter

4
11

EPISTOLA

deliter ædificia: produnt impiè du-
cem: Stipendium sceleratè à Christo
petunt, cum interea Satana mali-
gnè militant: à quo tandem sua mi-
litia digna reportabunt opsonia,
mortem æternam, & perpetuos cru-
ciatus, atq; tum demum serò intelli-
gent se corporalia spiritalibus, tem-
poraria æternis, Usuram huius vitæ
saluti animæ, perperam, prætulisse.
Habemus pericula, quæ ministris
Euangely sunt proposita, ab vna
parte corpus & fortunæ periclitan-
tur, ab altera salus animæ agitur,
qui vitam amittit propter sedulò ex
fide præstitum officium, eam recipi-
et. Qui animam perdit, perditus est
& corpore & anima. Quid igitur
faciendum? Minister Euangely pi-
us vtatur hoc mundo tanquam non
vtens:

DEDICATORIA.

vtens: possideat facultates huius mundi, tanquam non possidens: gaudet sub pijs & bonis gubernatoribus, tanquam non gaudens: hoc est, sit paratus ad vtrunq;. Donec licet pace & quiete, alijsq; commodis huius vitæ frui, agat gratias Deo. Verum si propter officium piè & fideliter præstitum fuerit vel fortunis exutus, vel in exilium missus, vel morte mulctatus, similiter agat gratias Deo, ferat æquo animo, exemplis sanctorum, Prophetarum, Christi & Apostolorum se consolans: ac vitam suam deponat apud illum, qui habet potestatem vitæ et mortis, & qui potest saluare & perdere. Hoc præceptum Dominus suis Apostolis dedit, cum eos emitteret ad oues perditas domus Israël. Ne timue-

B ritis

EPISTOLA

ritis vobis ab his qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna. Porro cum minister Euangelij ita affectus est, quod velit præferre obedientiam erga Christum omnibus commodis huius vitæ, quò possit suo angusto officio in gloriam Dei, & salutem hominum ritè perfungi, opus habet certis officij sui regulis, iuxta quas eum omnia in ministerio suo oportet agere. Has regulas suppeditabit lectio epistolarum Pauli ad Timotheum & ad Titum: Siquidem in hisce Epistolis Paulus duplici ratione informat verbi preconem. Nam et regulis, quid fieri oporteat, præscribit: & in suo exemplo, quasi in tabula, easdem

DEDICATORIA.

*easdem regulas pingit: qua profecto
ratione docendi nulla commodior,
nulla certior esse potest. Vt autem
& ipse lectorem pium meo labore
nonnihil iuuem, ministrisq; verbi
animum addam, vt faciant animosi-
us officium, in destructionem qui-
dem regni Satanae, in aedificationem
verò regni Christi, commentarios in
Epistolas Pauli, quas nominavi, &
in Epistolam eiusdem authoris ad
Philemonem scriptam sub prelum
misi. Hos commentarios sub tuo
nomine ornatissime vir, ideo prodi-
re volui, vt & extaret animi mei
erga te testimonium, & alij tua au-
toritate inuitarentur ad lectionem
harum perbreuium commentatio-
num. Rogo itaq; vt boni & quique
hanc qualemcumq; animi mei signifi-*

B 2 catio

EPIST: DEDICAT:

cationem erga te consulas. Quod si
feceris, nihil, mihi crede, tuo Nico-
lao erit gratius. Cupio salutari &
meo & familiae nostrae nomine tu-
am honestissimam coniugem An-
nam, à familia laudatissima apud
Ripenses oriundam, unà cum tota
familia. Vale in Christo frater ca-
rissime, integer spiritu, anima, &
corpore. Hassnia, primo Iu-
nij, Anno Domini

1565.

ARGV.

DEDICAT
e consula
ibi crede, tu
i. Cupio salu
e nostræ nem
mam conu
lia laudati
undam, vna
le in Christo
ger spiritu, an
Haffius, prima
Anno Domini
565.

ARGVMENTVM IN PRIOREM EPISTO LAM PAVLI AD TI MOTHEVM.



HÆC PAVLI EPISTO
la, & varia est, & refertissima
saluberrimis præceptis ad
rectè constituendam repub
licam Christianam summè
necessarijs. Quare non solum futuris diui
ni verbi ministris, ñsçp qui nunc in officio
summè necessaria, verumetiam omnibus
Ecclesiæ Christi ciuibus vtilissima censen
da est,

Porro argumenti loco de duabus re
bus dicam. Primùm, quæ fuerit scriben
di occasio. Deinde, quam materiam Pau
lus potissimum tractet: vt ita, & argu
mentum perspiciatur facilius, & nobis fa
ciliorem aditum ad explicationem facia
mus.

DE OCCASIONE.

Occasio hæc fuit. Ephesi fuerunt
quidam conuersi ad Christum, sed doctri
nam Euangelij zelo legis Mosaicæ corrum
pere additamentis quibusdam ex lege cœ
perunt

B 3

EPIST. I. AD

perunt: vnde varię quęstiones inter Christianos ortę, puritatem euangelij non parü obscurabant. Vt autem occurrat huic malo Apostolus, scribit hanc Epistolam Timotheo, quem, proficiscens in Macedoniam, Ephesi reliquit: vt eius Ecclesię curam haberet. Tendit proinde Pauli consilium eò, vt hac instructione admoniti, non solum Timotheus, verum etiam & alij puritatem Euangelij, reiectis omnibus curiosis & inutilibus quęstionibus, amplectantur. Atq; hæc de occasione & consilio Pauli.

DE MATERIA.

Materia autem huius Epistolę varia est. Nam plurimos Ecclesiasticos canones ad disciplinam facientes hęc colligit Paulus, quos commendat Timotheo, vt iuxta eos Ecclesiam sibi commissam gubernet. Atq; hi canones omnes oriuntur, & extruuntur ex fidei & caritatis præceptis: Et tendunt ad incolumitatem & disciplinam cum cleri, tum totius populi. Omnium autem primum, præcipuum Episcopi munus Timotheo commendat: nempe, vt puram doctrinam conseruet, eosq; qui aliter docent coarguat. Deinde colligit cano-

TIMOTH.

canones de oratione, quomodo, ubi, & pro quibus orandum sit: De silentio mulierum in publico cœtu, ne sibi auctoritatem docendi sumant: De Episcopis, Presbyteris, Diaconis, de viduis iunioribus, quas vult nubere potius, quàm turpiter viuere; de castigatione delinquentium: de diuitibus, & vsu diuitiarum. His canonibus aspergit, vt fieri solet, doctrinas, admonitiones, consolationes &c. vt hoc pacto regulæ auditoribus accommodentur.

Porro, vt & hoc adijciam, videtur Paulus non propter solum Timotheum informandum hanc Epistolam scripsisse, sed etiam propter alios, quibus voluit Paulus hos canones commendatiores esse, tanquam à se profectos. Atq; ita apparet hanc Epistolam omnibus pijs vtilissimam esse, vt quæ non solum animum erga Deum, verumetiam mores in Ecclesia componat,

CAPVT PRIMVM.

SVMMA PRIMI CAPITIS.

B 4 Monet

EPIST. I. AD

Monet quod Timotheum Ephesi reliquerit propter falsos doctores cogarguendos: quod ut sedulo faciat, hortatur, & sine pietatis proposito, usum rectum legis ostendit: & ut extollat ministerium Euangelij, in consolationem Timothei, gratias agit Deo propter commissum sibi Euangelij docendi munus, ac simul finem aduentus Christi in carnem monstrat, Tandem, rursus gratijs Deo actis, Timotheo officium commendat.

ORDO CAPITIS
PRIMI.

PRæter Epigrapham, septem sunt huius capituli partes, quæ sibi inuicem aptissimo nexu copulantur. Prima pars est monitoria, nempe ut Timotheus præcipiat, ne quis aliter doceat, quam ipse antea docuerat. Secundò, ne alienis & ociosis questionibus occupentur, ostendit scopum, quò omnia referenda sunt, nempe ad ipsum præcepti finem, qui est dilectio. Tertio, usum legis per occupationem monstrat. Quarto, Gratiarum actio additur, quòd sibi ministerium Euangelij demandatum sit. Quintò, addit doctrinam Catholi-

TIMOTH:

tholicam de causa aduentus Domini in mundum. Sextò, adiungit gratiarum actionem. Septimò, Repetit propositionem commendans Timotheo officium.

EXEGESIS PRIMI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Paulus Apostolus Iesu Christi, iuxta delegationem Dei saluatoris nostri, & domini nostri Iesu Christi, spei nostræ.

Prima Epigraphæ pars est, continens autorem Epistolæ: in qua parte, & Apostolatum suum Paulus commendat, & vberriam consolationem ipsi Timotheo, adeoq; omnibus Euangelium recipientibus, ex proprijs Euangelij beneficijs proponit. Commendatio Apostolatus eò pertinet, vt sciamus non humana esse, quæ ab illo adferuntur, sed diuina. Qui enim legatum, id est, Apostolum agit, non propria, sed eius qui se misit, verba proponere solet. Quare quæ à Paulo dicuntur, tanquam vox Dei de cælo sonans accipienda sunt, Declarandi gratia addit, iuxta dele-

B s gatio-

EPIST. I. AD

gationem Dei, vt intelligatur quòd immediatè à Deo ad Apostolatum sit vocatus: quemadmodum in Actis Apostolicis narratur, & ipse de se testis est, ad Galat. 1. & 2. Ad consolationem faciunt Dei & Christi Epitheta. Cum Deum Patrem & saluatorem, Christum dominum ac spem nostram appellat. Atq; ita statim in Epigrapha erigit mentem Timothei, occurrens difficultati vocationis, Ac si dicat, Multa quidem dura ferenda sunt, sed Christus certa spes adest. Periclitamur, & insidijs petimur, sed habemus seruatorem, non hominem, sed Deum ipsum. Non itaque saluator imbecillus est, quia est Deus. Spes nō confundet, quia Christus est. Hac consolatione & nos sustentemus in quocunq; tandem periculo.

Timotheo germano filio in fide.

Secunda Epigraphæ pars, in qua nomen eius exponit, ad quem scribit. Hunc Timotheum vocat germanum filium in fide. Est enim vsitatum in sacra scriptura ex imitatione, & similitudine filios appellare: idq; cum in malam, tum in bonam partem. In malam quidem, vt Ezechielis

TIMOTH.

chielis 16. Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Hirthæa. Et Iohan. 8. Vos ex patre Diabolo estis, & opera patris vestri facitis. In bonam verò partem, vt hoc loco, & sæpè aliàs. Sic gentiles filij Abrahæ dicuntur, cum fidem Abrahæ & innocentiam imitantur. Colligamus hinc duo, Prius, qualisnam affectus præceptoris erga discipulum esse debeat. Posterius, quòd boni discipuli sit sui præceptoris virtutes imitari: Idq; non fucatè & simulatè, sed γνησίως, id est, verè ac sincerè.

Gratia, misericordia, pax à
Deo patre nostro, & Christo Iesu domino nostro.

Salutatio est, à proprio Euangelij fructu sumta: quæ eò pertinet, vt Timotheum consoletur, ac confirmet. Gratia in scriptura significat propriè gratuitam benevolentiam seu fauorem, quo Deus nos complectitur propter Filium. Deinde vsitata scripturæ metonymia, quicquid Deus nobis ex gratuito fauore seu benevolentia donat, Gratia dicitur, vt gratuita remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti,

EPIST. I. AD

eti, & virtutes donatæ, quæcunq; tandem illæ fuerint. Misericordiæ vocabulum magis affectum Dei erga nos exprimit, & causam fauoris Dei indicat. Pax, proprie in scripturis est mutuus consensus Dei remittentis peccata, acceptantisq; nos propter Filium, & fidei hominis accipientis remissionem peccatorũ, statuentisq; quod Deus non velit damnare nos, sed propter Christum Mediátorem recipere, vt porro accessum habeamus ad Patrem fide. Deinde Metonymikõs ponitur pro tranquillitate conscientiæ, adeoq; pro omnibus prosperis, vnde Hebræi se mutuo pacis vocabulo salutare consueuerunt: & quærentes de incolumitate amicorum absentium, Num pax illis esset interrogarunt. Cùm addit, à Deo Patre nostro, & Iesu Christo Domino nostro, excludit non solum merita humana, verumetiam consolatur nos, & admonet nos fidei. Si enim Deus pater est noster, certè curam nostri gerit. Si Christus dominus, certè in tutus sumus, qui vera fide illi adhæremus, eumque colimus. Quærit Chrysostronus cur in nullis Epistolis Pauli additur in salutatione vocabulum Misericordiæ, nisi in ijs, quas ad discipulos Timotheum & Titum scripsit.

T I M O T H.

scripserat. Ad hanc quæstionem responderet, quòd id fiat tum propter immensam philostorgiam Pauli erga illos, quos in Christo genuerat, tum propterea quòd qui alijs præsumunt in ministerio verbi propter difficultatem & molestias in officio, pluribus egeant consolationibus. Quare misericordiæ mentionem facit in consolationem, vt discipuli quoties grauior afflictionum tempestas ingruat, se promissione misericordiæ Dei consolentur.

Quemadmodum rogavi te ut remaneres Ephesi, cum proficisceris in Macedoniam.

Ecliptica est oratio, quæ plena erit, si adieceris, Ita facito. Obserua hîc quòd Paulus plurimum absit à fastuoso Papæ spiritu: qui fulmine anathematis addito, imperiosè Imperatoribus & regibus mundi mandat. Deinde, vt Paulus pietate & virtute conspicuos blandè & paternè monet, Sic præfractos & contumaces seuerè castigat: Ita tamen, vt castigatio minime ab amore eius qui castigatur, separetur.

Vt denuncies quibusdam,
ne

EPIST. I. AD
ne diuersam sequantur doctrinam, nec attendant fabulis, & genealogijs, nunquam finiendis, quæ quæstiones magis præbent, quàm ædificationem Dei in fide.

Primus canon hic est, vt Episcopus inspiciat, ne diuersa doctrina à puritate Euangelij doceatur in Ecclesia. Cuius ratio additur à duplici fructu, sanæ videlicet, & diuersæ doctrinæ, in hunc modum. Quicquid magis quæstiones præbet quàm ædificat, est fugiendum. diuersa doctrina, & discedens à solido religionis fundamento, magis quæstiones præbet quàm ædificat. Talis igitur doctrina cauenda est. Sit igitur hic canon omnibus Episcopis & ministris verbi commendatus, ne sinant peregrina doctrina, aut etiam forma docendi inusitata, corrumpi puritatem Euangelij. Sed quam vocat hic doctrinam diuersam? Doctrinam diuersam vocat (Quemadmodum se ipse explicat) quæ in fabulis & genealogijs infinitis occupatur. Fabulæ sunt Paulo garrulitas, & inanis ostentatio in quærendis genealogijs, quas
ideo

T I M O T H.

ideo vocat infinitas, quia qui talibus quæ-
stionibus, nihil ad ædificationem facienti-
bus, oblectantur, ex vna in alias incidunt,
sine modo, ac interim omittuntur ea, quæ
ad ædificationem necessaria sunt. Vult igitur
Paulus hoc canone cautum, ne intem-
pestiua & ad pietatem inutilia sectemur,
sed magis quæ ad ædificationem faciunt.
Ex his etiam ferè quæstio soluta est. discer-
nendum est enim inter quæstiones vtilis
& inutiles. Quærendæ sunt tantisper res
vtilis, donec veritas inueniatur, in qua ac-
quiescendum est. Ociosæ vero quæstiones
prorsus fugiendæ sunt.

Finis autem præcepti est ca-
ritas ex corde puro, & conscien-
tia bona, & fide non simulata.

Ostendit scopum, quo omnia Chri-
stianorum studia sunt referenda: ad quem,
cum collimant pii, non facile ociosis & in-
utilibus quæstionibus locum dabunt. vn-
de variæ in doctrina opiniones gignun-
tur, & hæreses. Oblivio enim mutuæ cari-
tatis peperit omnes hæreses. Nam qui fra-
trem non diligit, eius bonæ existimationi
inuidet, qui fratris existimationi inuidet,
sibi ipsi

EPIST. I. AD

sibi ipsi gloriam & nomen quærit. Hæc
 gloriæ cupiditas omnium hæresium ma-
 ter est. Quare appositè Paulus canoni de
 fugienda diuersa doctrina subiungit, ca-
 ritatem, qua quæritur proximi honor, in
 totius corporis Ecclesiæ ædificationem.
 Cùm itaq; dicit Paulus: Finis præcepti est
 caritas, perinde est, ac si diceret: Scopus
 totius Legis, quò omnes nostræ actiones
 referendæ sunt, est caritas, vnde rectè dici-
 tur: Habe caritatem, & fac quicquid vis.
 Sed qualis debet illa esse caritas? quæ pro-
 ficiscitur ex corde puro, conscientia bona,
 (hoc est, statuente remissum esse pecca-
 tum, & abiiciente propositum peccandi)
 & fide non simulata, hoc est, sincera, qua
 iuxta dictum Petri, præstamus virtutem,
 vt non languescat fides nostra, sed ardeat
 desiderio totam vitam Deo approbandi.
 Sed cur fidem postremo loco ponit? Ab
 effectibus ad causam facit progressum,
 nam sincera fides conscientiam bonam pa-
 rit. Hæc vbi adest, cor purum esse, mini-
 meq; ociosis affectibus deditum declara-
 tur. Sciamus igitur huc tanquam ad sco-
 pum nostra omnia referenda esse studia,
 vt ex fide & timore Dei bonam conscien-
 tiam nacti, studeamus Deo totam vitam
 nostram

T I M O T H.

nostram approbare, proximoq; ex vera dilectione seruire.

A quibus dum aberrarunt quidam, deflexerunt ad uaniloquium, uolentes esse legis doctores non intelligentes quid dicunt, neq; de quibus confirmant.

Quid damni sequatur, ex neglecto Legis Dei scopo ostendit: à quo dum aberrant homines, ad uaniloquium, hoc est, ut supra dixit, ad fabulas & inutiles quaestiones, seu vanas disputationes, nihil ad aedificationem facientes, deflectunt: Qui dum se Legis doctores esse gloriantur, fit, ut nec ipsi quicquam intelligant rectè, nec alios quæ certa sunt docere valeant. Primum hîc obseruamus metaphoram in verbo aberrandi, quæ sumta est à collimantibus ad certum scopum, sed ab eo aberrantibus inscitia artis iaculandi. Ἀσοχῆρ enim propriè est scopum non attingere iaculo ad eum directo. Hinc duo colligamus: vnum, quòd desertum pietatis scopum, sequatur uaniloquium: hoc, excipiat *Ἐιλαρχία*, quam opinionum uarietas

C comita-

4
11

EPIST. I. AD

comitatur, ut nihil tandem certi relinquatur. Huius rei argumentum clarissimum præbet Papatus: in quo, omisso scopo pietatis, infinita commentariorum moles vanissimis nugis referta sequuta est. Unde nos admoneamur, ne scopo deserto cum illis superbè impingamus, deflectentes ad inutiles disputationes. Alterum est, ut artem, qua opus sit ad scopum sine errore petendum, discamus: ne aliena pro veris cum illis, quos hîc Paulus arguit, amplectamur ipsi, alijsq; obtrudamus.

Petrus 2. Pet. i. prophetiam, hoc est, scripturam à Spiritu sancto profectam docet, quem eiusdem optimum quoq; interpretem esse monet. Hoc quanquam verissimum est, Tamen quædam sunt præcepta necessaria, quæ interpretis cogitationes dirigent, ne per incuriam à scopo veritatis aberret, imprudenterq; suam insciam spiritui sancto imputet.

Colligam itaq; pauca interpretandi præcepta hoc loco, quæ spero sacratissimæ Theologiæ studiosis profutura: siue ipsi interpretari, siue aliorum interpretationes legere velint. Et quia extra controuersiam est, artium dicendi præceptis instructum debere esse interpretem, de alijs dicam.

Pri-

T I M O T H.

Primum igitur sit præceptum, ut interpres pium pectus adferat ad sacrum Dei verbum: quò fiat, ut gloriam Dei, & non sui ingenij laudem precibus & labore quærat interpres.

Secundum præceptum sit, quod interpreti Rom. 12. commendat Paulus, nimirum ut interpretatio sit analogæ fidei: hoc est, ut congruat cum primis religionis axiomatis, & non discedat à fundamento, hoc est, ab articulis fidei.

Tertium sit, quod Petrus tradit 2. Petri 1. ut non sit privati impetus, aut ingenij interpretatio, sed Spiritus sancti. Unde monetur interpres, ut non aliunde, quàm ex Spiritus sancti oraculis scripturæ clarioribus, petat interpretationem, nec flectat interpretationem ad rationem humanam, sed scripturis & oraculis Spiritus sancti rationem subijciat.

Quartum præceptum sit de methodo obscura illustrandi. Postquam enim superiora tria præcepta animo infixæ fuerint, obseruanda est Methodus, per quam quæ obscura sunt, certa ratione illustrari, tanquam lumine aliundè allato possint. Tametsi autem in methodi diligenti ob-

C 2 serua-

EPIST. I. AD

seruatione præcipua subsidia interpretis
 posita esse uidentur. Tamen in illustratio-
 ne obscurorum aliqua distinctione pecu-
 liari opus est, qua communia præcepta ad
 usum applicentur. Teneatur igitur hæc
 prima obscuritatis distinctio, quod aut in
 uerbis aut in rebus sita sit omnis obscuri-
 tas. At quæ est in uerbis obscuritas? Aut
 in singulis uerbis, ut cum de eorum signi-
 ficatione ambigitur, Aut in compositis,
 hoc est, in intellectu seu phrasi, existit. Si
 in uerbis singulis est obscuritas, illud con-
 tingit, aut propter rerum penuriam, ut
 animalium multa uocabula in Leuitico,
 aut propter formæ rerum mutationem;
 ut in uestibus, ponderibus, mensuris, mo-
 neta &c. Aut propter uocis amplitudi-
 nem, qua una uox interdum ex æquo plu-
 ra significat. Interdum per aliquem trō-
 pum, ad significationem impropriam de-
 flectitur. Hic quid faciendum est? Obscu-
 ritas in primo & secundo genere mutua-
 bitur lucem ex antiquitatibus & historijs
 rerum descriptiones continentibus. In ter-
 tio autem genere tria adhibenda sunt. Pe-
 ristasis loci examinanda est, collatio alio-
 rum dictorum clariorum cum præsentii
 loco instituenda. Ratio ex fundamento
 doctrinæ petenda. Hu-

T I M O T H.

Huius methodi exempla uide in loco de Iustificatione in Locis Philippi. Vbi quid fides, quid gratia, quid iustificatio sit, exponit.

Sin autem obscuritas est in rebus compositis phrasibus linguæ obseruanda est, & Grammatica consulenda eius linguæ, qua uel usus est scriptor, uel quam imitatus est.

Cæterum si in rebus obscuritas est, tria faciendæ sunt. Primum analogia fidei, iuxta consilium Pauli, ante oculos habenda est; à qua nullo modo sinat se auelli interpres. Hæc enim facit, ne cum fundamento pugnet interpretio. Deinde textus peristasis, & scopus orationis spectentur, iuxta Hebræorum regulam. Qui non animaduertit quid supra & infra in scripturis scribitur, Is peruertit uerba Dei uiuentis. Tum accedat collatio, qua textus, cuius sensus quæritur, cum alijs locis conferatur. Hæc enim collatio plurimum iuuat interpretem. Atq; hæc de Methodo obscura explanandi, cui Ecclesiæ purioris testimonium, ac peritorum Theologorum accedat exegesis; in qua tamen summo perè cauendū est, ne quid propter auctorum famam aut autoritatem cum fun-

C 3 damen-

4
11

EPIST. I. AD

damento aut fidei regula pugnans, recipiamus.

Scimus autem quòd lex bona sit, Si quis ea legitimè utatur.

Tertia pars præsentis capituli de usu Legis. Estq; prolepsis: qua anteuertit objectionem illorum, qui legis doctores esse uoluerunt. Poterant enim isti sic obijcere Paulo. An non Lex ab optimo Deo data est? Si data à Deo, cur non docenda? Cum non possit non esse bona Lex, quæ Deum autorem habeat. Sed Paulus respondet per concessionem, pronuncians Legem simpliciter esse bonam, ut quæ ab optimo Deo profecta sit, sed uitium esse non in Lege, sed in ijs, qui Lege perperam utuntur. Et sumit argumentum à coniugatis, Nempe quòd cum Lex sit, oporteat ea legitimè uti. Discernit igitur Paulus inter legem ipsam, & usum legis. Legem in se bonam fatetur, ac eius legitimum usum approbat, significans legis doctores, omisso legis legitimo usu, eam ad abusum transtulisse. Sed quis Lege legitimè utitur, & quis ea abutitur? Respondeo: Quia
cer-

TIMOTH,

certum est omnes leges in utilitatem eorum proponi, quibus feruntur. Is legitime uti lege dicendus, qui ea in suam utilitatem sine errore utitur. Contra uero ea pernitiosè abutitur, qui inde certum damnum accipit. Proinde is legitime Lege utitur, Primùm qui per eius ducatum, ad Christum uenit Legis finem & impletorem. Nam cum Lex arguit peccatum, & requirit puram, perfectam & perpetuam obedientiam, adeoq; iusticiam omnibus suis numeris absolutam, & id propter carnis imbecillitatem præstare non potest, mittit ad Christum, qui finis Legis est, in iusticiam omni credenti. Contrà autem illegitimè Lege utitur, qui in ea ita hæret, ut eius scopum nunquam pertingat, in lege frustrà iusticiam quærens. Deinde & is rectè Lege utitur, qui ea, quæ ad tempus data erant, ab his, quæ perpetua sunt, discernit. Circumcisio, sacrificia, purificationes uariæ, adeoq; ceremoniæ omnes & iudicialia data fuerunt, sed ut cum republica Moïsis finem haberent. Quare Legis doctores isti, quos hîc Paulus taxat, circumcisionem & quædam alia Legis urgentes & obtrudentes gentibus, quæ fidem accederant, Lege abusi sunt, partim

C 4 pro-

4
11

EPIST. I. AD

propria inscitia, partim quoque malicia, & dominandi libidine. At moralia data sunt, ut sint perpetua, ita tamen ut inter doctrinam Legis, & rigorem eiusdem discernatur. Doctrina quidem perpetua est uiuendi regula, sed rigor Legis impijs & non poenitentibus manet, pijs autem & iustificatis fide abolitus est, iuxta illud Galat. 3. Christus redemit nos à maledictione Legis, factus pro nobis maledictum. Item, Non estis sub Lege, sed sub Gratia. Vbi legis uocabulo non doctrina & obedientia, sed rigor seu maledictio intelligitur, quod ex antithesi clarè animaduerti potest.

Sciens hoc quòd iusto non est Lex posita, sed iniquis.

Hoc exempli causa addit, ut ostendat se Legis legitimum usum approbare, docet autem non eundem, sed longè diuersissimum usum & uim legis esse in iustis, & in iniustis. Et quanquam toti humano generi lex Dei proponitur, ut ostendat quid Deus ab homine requirat: Tamen iustis, hoc est, fide, accepta remissione peccatorum, iustificatis aliter quàm impijs legem proponi, hac sententia Paulus com-
non-

EPIST. I. AD

nem in foro ciuili, quia disciplinam non violant, nec humanam societatem turpibus factis perturbant. Cæterum quia æterna & immota est voluntas Dei, qua requirit dilectionem erga se & erga proximum nostrum, manet lex moralis etiam iustis quoad doctrinam attinet, non tamen premit & obruit iustos, quia iusti Lege oblectantur, conanturque ad eius præscriptum mores formare, scientes maledictionem legis sublaram esse. Peristasis loci hanc nostram explicationem confirmat. Non enim hic in genere de toto Legis officio loquitur, sed tantum de disciplina & carcere, quo Lex constrictos tenet homines, qui nondum fide iustificati sunt. Idem adhuc clarius ex collatione patet, cum inquit: Iusto non est Lex posita, sed iniquis & inobsequentibus &c. Potissimum coarguens crassos illos legis violatores, qui sine timore Dei ex vno in aliud ruunt flagitium: His lex posita est, vt quæ premat & obruat eos suo rigore, spiritualiter & politicè. Spiritualiter quidem eos maledictioni & æternis pœnis subiiciendo, Politicè verò, cum gladio magistratus & supplicijs commertis eos tradat. Summa igitur huc redit: quòd

vt

T I M O T H.

vt lex iniquos suo iugo premit, damnatione & pœnis obruit: Ita iustos suo ductu ad ea præstanda officia, quæ iam spiritus directione præstare conantur, ducit. Quemadmodum itaque (vt similitudine Chrysofomi vtar) equus ferociens & indomitus freno constringitur & cohercetur, iuxta illud. in camo & freno maxillas eorum constringito, qui non approximant ad te, sed. domitus equus eodem dirigitur, vt in via iuxta fessoris arbitrium retineatur: Ita impius lege premitur & cohercetur, pius verò inde petit, quæ Dominus à se officia requirit.

Sed iniquis, & inobsequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerentibus & prophanis, patricidis, & matricidis, homicidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud est, quod sanæ doctrinæ aduerfetur.

Iniufto-

4
11

EPIST. I. AD

Iniustorum quædam genera enumerat, ut in quos Lex plenum ius habeat, ostendat. Non autem seruat in his recitandis exactum ordinem, sed ut occurrerent ea posuit, significans forte turpissimum esse scelerum confusionem, in quibus Legis Dei contemtores, nec ordinem nec modum seruant, sed ex uno in aliud præcipites feruntur.

Secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod conceditum est mihi.

Pugnare Legis præuaricatores cum glorioso Dei Euangelio, quod sibi commissum est, meminit, ut ostendat, & se Legis doctrinam legitimè prædicare, & gloriosum beati Dei Euangelium non pertinere ad eos, qui impuritate uitæ illud dehonestant; quod sanè cum gloria Euangelij, & beatitudine Dei pugnat apertè, discedat igitur ab iniusticia quisquis nominat Iesum Christum, & de glorioso eius Euangelio gloriatur.

Et gratiam habeo ei, qui potentem me fecit, Christo Iesu domino

mino

T I M O T H :

mino nostro, quòd me fidelem
duxerit, ponens me in ministe-
rium.

Hæc quarta huius capituli pars est, in qua, quia paulo antea dixerat sibi creditum Euangelium Christi, Gratias agit Christo, qui se potentem & idoneum reddidit ad ministerium adeò sublime & augustum. Hinc duo nos discamus: vnum, quod semper beneficiorum Dei memores, erumpere nos oporteat in gratiarum actionem, qua & agnoscimus, unde sit beneficium acceptum, & gratitudinem nostram testamur erga Deum, qui in nos adeò est liberalis ex mera sua bonitate: Alterum, quòd ministerium uerbi ut augustissimum, ita magis arduum existit, quàm ut ad id debitè peragendum ulla sufficiat humana industria, nisi Deus quoque manum adhibeat. Quare ministri uerbi, & pietatis doctores uires cum Paulo ab eo petant, qui solus nos idoneos & potentes reddere potest.

Qui prius eram blasphemus,
& persecutor, & uiolentus, sed
mise-

EPIST. I. AD
misericordiam consecutus sum,
quia ignorans feci in incredu-
litate.

Ut extollat misericordiam ac philan-
thropiam Dei erga se, reddatq; rationem
gratiarum actionis, descriptionem suæ
personæ addit, atq; tribus uocibus, suam
crudelitatem, quam exercuit aduersus Ec-
clesiam Christi, exprimit. Primum dicit
se blasphemum fuisse, cuius sceleris causa
iure æternis pœnis erat mancipandus. De-
inde agnoscit se persecutorem fuisse, nem-
pe Ecclesiæ, de qua re Galat. 1. & in Actis
cap. 9. copiosè scribitur. Tertiò se uiolen-
tum fuisse fatetur, ut qui summa Tyran-
nide & iniuria Christianos oppresserit.
Hæc merita sunt Pauli, non cœlo, sed in-
ferno digna. Sed misericordiam est conse-
cutus, qua condonata est culpa, & donata
gratia est. Illustre sanè misericordiæ Dei
exemplum, quod omnibus ideo propo-
nendum est, quia apud Deum non est ac-
ceptatio personarum. Porro, quod addit
Paulus, Quia ex ignorantia feci, quæstio-
nem habet adiunctam ualde difficilem,
nimirum an si sciens fecissent, non fuisset
mife-

T I M O T H.

misericiordiam consecutus. Ut hanc quaestionem rectè soluamus, Omnium primùm animaduertenda est facti Pauli qualitas. Deinde distinguenda peccata sunt, Nam haud obscure significat Paulus, se misericordiam non fuisse consecutum, si ut uolens ita sciens quoque Euangelium Christi fuisset persequutus. Peccatum itaque Pauli non fuit directè contra secundam tabulam, sed contra primam. Christum enim ipsum persequabatur, quemadmodum in Actis Dominus illi obijcit, dicens: Saule Saule cur persequeris me? Proinde peccatum Pauli est furor quidam, quo ipsum Christum persequitur, eiusque regnum rabiosè inuadit. Atq; huiusmodi furor duplex est. Aut enim à sciente, & de ueritate conuicto proficiscitur, qualis fuit Pharisæorum, qui se Christo opposuerunt mera malitia. aut ab ignorante, & nondum de ueritate Dei conuicto procedit, qualis eorum est, qui zelo quodam præpostero, persequuntur ueritatem, quam tamen ueritatem esse minimè nôrunt, Imò potius mendacium & blasphemiam arbitrantur. Tali zelo Paulus persequitur Ecclesiam Christi, quo aboleat & extinguat (ut ipse quidem putabat) doctrinam Christi,

4
11

EPIST. I. AD

sti, quæ cum Mose & Lege haud stare posse uidebatur. Hinc ergo sumamus discrimen peccati in primam tabulam. Nam si cognita ueritate Dei, aliquis se Deo opponit ad expugnandam ueritatem, peccatum committit in Spiritum sanctum, sed secus est si cœco zelo, prætextu pietatis ueritatem nondum agnitam persequitur, quod Paulus se fecisse hic meminit. Simili furore haud dubiè multi Papistæ hodie Euangelium oderunt, falsò illud putantes Catholicæ Ecclesiæ contrarium esse dogma, tales ex inconsiderato zelo, bonum simpliciter non reñciunt, sed quia malum esse putant. Huiusmodi ignorantia nequam in totum excusat, sed ex parte tantum. Iuxta dictum Domini. Seruus sciens uoluntatem Domini, & non faciens, uapulabit plagis multis. Item, Si cœci essetis, peccatum non haberetis.

Superabundauit autem gratia Domini nostri, cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu.

Amplificat beneficium à causa, quæ est gratia superabundans, & diligenter obseruan-

T I M O T H.

seruandum est vocabulum, Superabundauit. Non satis visum est dicere abundauit, considerans suam turpedinem, & excellentiam gratiæ Dei, sed superabundauit, significans gratiam Dei omnem mensuram excedere, Non enim solum remisit Deus Paulo blasphemiam, furorem persecuendi Euangelium, & violentiam, qua Ecclesiam opprimere videbatur: verum etiam iustificauit, adoptauit in filium, hæredem Dei, & cohæredem Christi. Quæ quidem beneficia Dei gratuita omnibus pijs communia sunt. Peculiare vero fuit, quòd in Apostolum elegerit adeò blasphemum persecutorem. Ad huius loci uberiorem explicationem plurimum iuuerit quintum caput Epistolæ ad Romanos, In quo collatio peccati & gratiæ instituitur. Porrò cum ait, hanc gratiam superabundauisse cum fide & dilectione, quæ fundantur in Iesu Christo, efficaciam gratiæ exprimit, quæ est fides, qua possidetur Christus, & dilectio, quæ nouæ uitæ inditium est. Refertur enim tota Christianorum uita ad hæc duo capita, vnde innumeræ uirtutes, ueluti riuuli ex fonte uiuo manant. Obserua igitur frustra eum gloriari de gratia, qui fide ueraci, ac dilectione uacuus est.

D Fide

4
11

EPIST. I. AD

Fidelis sermo & omni ap-
probatione dignus, quòd Chri-
stus Iesus uenit in mundum pec-
catores saluos facere.

Quinta huius capitìs pars, de causa
aduentus Christi in mundum. Et quia be-
neficiùm aduentus Christi, omnem supe-
rat humanam expectationem & spem,
præfatione utitur, qua commendat om-
nibus huius rei magnitudinem, & certi-
tudinem: quæq; excitat omnes, ut attentè
considerent quantum bonorum cœlesti-
um thesaurum hæc sententia contineat:
Quòd Iesus Christus uenit in hunc mun-
dum, peccatores saluos facere. Cæterum
in hoc capite nostræ religionis præcipuè,
pij nouem circumstantias considerent, quæ
sunt: Prima, causa impulsiuâ aduentus
Domini. Secunda, quis, quantusq; sit qui
uenit. Tertia, unde uenit. Quarta, quo-
modo uenit. Quinta, quò uenit. Sexta,
finis aduentus. Septima, salutis peractæ
per Christum ratio & modus. Octaua,
quibusnam ea salus destinetur. Nona, sa-
lutis applicatio. Harum circumstantia-
rum explicatio in hoc salutis mysterio est
necessaria

T I M O T H.

necessaria, nec incognita studiosis esse potest. Quare eas tantum recensere, & incertum numerum redigere volui, ut admoneamur, quam varias & multiplices quaestiones hoc caput in se contineat.

Quorum primus ego sum.

Dixit Christum venisse in mundum, ad salvandos peccatores, iam id suo exemplo declarat, nec hoc ex humilitate, sed ex vero peccati sensu à Paulo dictum esse existimemus. Vnde nos quoque discamus, non extenuare peccata nostra ex aliorum collatione, sed potius nostram sceditatem summam verè agnoscamus, ac confugiamus cum Paulo ad eum, qui sanguine suo peccatores ab omni iniquitate emundat, 1. Iohan. 1.

Verum ideò misericordiam consequutus sum, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimentum exemplar ñs, qui credituri essent in ipso in vitam æternam.

D 2 Rursus

EPIST. I. AD

Rursus hypothefin ad thefin transfert, accommodans salutem (quam ipse adeptus est ex gratia) omnibus. Obseruandus in primis hic locus est de vfu exemplorum. Vt enim doctrina nobis voluntatem Dei erga homines reuelat: Ita exempla sanctorum quædam quasi doctrinæ obfignacula sunt, Si modo pœnitentiam, fidem & patientiam sanctorum fuerimus imitati.

Regi autem seculorum incorruptibili, inuisibili, soli sapienti Deo, honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Suo more post mentionem beneficiorum Dei, erumpit in gratiarum actionem, quò ostendat pios seu conuersos ad Deum, oportere perpetuò esse memores beneficiorum præstitorum, debereq; beneficia Dei prædicare. Præterea his verbis anteuertit curiositatem humanam, quæ in abyssum sapientiæ Dei temerè perrumpit, quoties audit Deum recipere in gratiam blasphemos, & enormibus sceleribus conspiratos, cum aliq; qui minus uidentur peccasse, imò qui iusti sibi videntur, relinquantur suæ cœcitati. Sed Paulus ad sapien-

T I M O T H.

scientiam Dei, qui solus sapit, nos remittit, & vult vt suo exemplo ad Dominum conuertamur, eiq; conuersi gratias agamus.

Porro hoc loco abusi sunt Libertini ad tollendam animarum humanarum immortalitatem, vrgent verba Pauli, qui Deum solum immortalem, & inuisibilem, & sapientem prædicat. Primum illis libenter largior, quod exclusiua particula, soli, possit istis omnibus epithetis recte addi, sed perperam tamen eos affirmo deceptos fallacia æquiocationis, inferentes animas hominum non esse immortales. Nam Paulus Deum solum ex seipso & propria natura hoc priuilegium habere, vt sit immortalitatis origo. Verum quod ipse ex se habet, id nobis, ad imaginem suam formatis, per gratiam communicat.

Hoc præceptum commendando tibi fili Timothee, iuxta prophetias, quæ de te præcesserunt, ut milites in ijs militiam bonam.

Septima pars huius capituli, in qua repetit propositionem, & commendat Ti-

D 3 mo

EPIST. I. AD

motheo officium, vt respondeat prophetijs, quæ de ipso, ante delegatum ipsi officium, præcesserunt. Nam sancti, vt apparet, viri prophetico spiritu de Timotheo ediderant vaticinia, quibus tanquam stimulis quibusdam vult Paulus Timotheum incitari ad præstandum officium: quod quia arduum est, in eoq; requiritur acre certamen, comparat illud militiæ honestæ, in qua sub vexillis Christi strenuè pugnandum monet.

Habens fidem & bonam conscientiam.

Bonæ militiæ regulam tradit, vt longè vtilissimã, ita quoq; tutissimam, quam qui negligit, vt ignauus, & inermis miles, à duce suo relictus, ab aduersario captiuus & superatus abducitur. Huius regulæ duas partes facit, Fidem & Bonam conscientiam. Fides est, cum firma persuasio de omni veritate Dei seu verbo Dei, tum fiducia Christi, vnde spiritualis Dei cultus prodit, Inuocatio, gratiarum actio, timor, patientia &c. Bona conscientia quatuor veluti fulcris nititur. Primum, fiducia Christi, qua statuitur remissum esse peccatum.

T I M O T H.

eatum. Secundò, proposito peccandi ab-
 iecto. Tertio, desiderio & uoto vitam Deo
 approbandi in posterum. Quarto, fide &
 diligentia in officio. Primum ex eo pro-
 batur, quòd ubi non regnat fides in Chri-
 stum, ibi peccatum dominium in consci-
 entiam exercet. Ut igitur fide purificatur
 conscientia : Ita eadem veluti fulcro quo-
 dam fulcitur ac sustinetur. Secundum ex
 eo confirmatur, quòd qui non abiecit pro-
 positum peccandi, spiritum Christi non
 habeat, qui est pignus & arabo nostræ he-
 reditatis. Idem confirmatur Psal. 39. Bea-
 tus vir, cuius est nomen Domini spes eius,
 & non respexit ad vanitates & insanias
 falsas. Tertium confirmat Paulus inquit-
 ens : Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt fi-
 lij. Item, Si spiritu ducemini, non estis sub
 lege. Postremum hac sententia confirma-
 tur : Si quis suorum & maximè domesti-
 corum curam non habet, fidem abnega-
 uit, & est infideli deterior. Fide enim ab-
 negata, conscientia polluitur, & vastatur,
 atq; frena cupiditatibus pravis laxantur.
 Sit igitur nobis huius sanctæ militiæ re-
 gula commendata, studeamusq; singuli,
 ut nostram vitam iuxta illam formemus
 in gloriam DEI, nostram ipsorum salu-

D 4 tem,



EPIST. I. AD

rem, & ædificationem domus Dei, quæ est Ecclesia.

Quam quidam postquam repulerunt, circa fidem naufragium fecerunt.

Amplificat à pœna, in quam incurunt, qui conscientiam polluant, & pulcherrima metaphora pollutæ conscientie malum depingit. Confert enim ciues Ecclesie nauigantibus in turbulento ac sæuo mari, quibus tamen nihil est periculi, donec in nauî manserit salua. Sic qui sunt in Ecclesia, donec retinent fidem & bonam conscientiam, in ea manent securi, quantumuis turbulentum mare sæuiat. Verùm ubi conscientia peccati locum obtinuerit è nauî, hoc est, Ecclesia eñciuntur. Faciunt igitur naufragium circa fidem, qui bona conscientia excidunt, qui polluta conscientia se totos prauitati mancipant, ac sua negligentia promerentur, vt non solum non contineantur in pura Dei noticia, verum etiam vt cœcitate, erroribus, & falsis opinionibus obruantur in pœnam suæ ingratiitudinis. Obseruemus itaq; hoc loco, quòd conscientia sit quasi arca quædam,

T I M O T H.

dam, cui tanquam fidæ custodiæ thesaurus Euangelij conseruandus traditur. Unde nihil mirum est, si fluctuent opinionibus, & nihil firmi habeant, qui inter varias procellas voluptatum agitantur. Cum itaq; videmus maximam mundi partem Euangelium aspernari, sciamus esse fructum malæ conscientiæ & spretæ fidei, veritatisc; Dei.

In quorum numero est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

Exemplum pœnæ pollutæ conscientiæ addit, vt simus cautiores bonæ conscientiæ custodes. Huius Hymenæi meminit in sequenti Epistola cap. 2. qui resurrectionem iam esse factam garriebat. Nam qui circa fidem fecerunt naufragium, absurdis opinionibus fingendis, idonei sunt architecti. Porro quis fuerit Alexander is, cuius hîc meminit, non satis constat. De Alexandro fabro Aerario summo aduersario Pauli hoc intelligi non potest, cum hoc intelligendum sit de aliquo, qui fidem antea receperat, & postea circa eandem

D s nau-

EPIST. I. AD
naufragium fecerat. Quare videtur hic
locus intelligendus esse de Alexandro, cu-
ius meminit Lucas in Actibus cap.9. Qui
futuræ suæ defectionis aptum specimen
edidit: Cum ficta & prophana oratione
tumultum populi sedaret. Hos dicit se
tradidisse Satanæ, hoc est, exclusisse è fami-
lia Christi, extra quam Satanus efficax est
in filijs contumaciæ. Finem addit, vt di-
scant non blasphemare, hoc est, vt ex pœ-
na inflicta vel suum errorem agnoscant, &
resipiscant, vel si redire per pœnitentiam
noluerint, iustè pereant.

CAPVT SE- CVNDVM.

SVMMA SECVNDI CAPITIS.

Hortatur Paulus ad preces pro omni-
bus hominibus: quod & utile, & Deo
acceptum monet, cū sit & vnus omnium
Deus, & vnus omniū mediator Christus,
Dat præcepta mulieribus, vt cum silentio,
& subiectione discant: & non doceant ipse
in coetu.

OR-

TIMOTH,
ORDO SECVNDI
CAPITIS.

DVæ sunt principales huius capituli propositiones seu partes, totidem canones Ecclesiasticos nobis commendantes. Vna de oratione pro omnibus habenda, quæ validis confirmatur argumentis. Altera de Doctoribus in Ecclesia, quos vult iustos viros esse, & non mulieres. Munit & hanc propositionem iusta confirmatione. In prioris partis declaratione delabitur in tres locos scripturæ præcipuos, quorum Primus est, de voluntate Dei, volentis omnes saluare, & ad agnitionem veritatis uenire. Secundus de unitate essentiæ diuinæ. Tertius de Mediatore Christo. In posterioris partis explicatione, attingit lapsum primorum Parentum, reparationem, matronarum officium in educandis liberis.

EXEGESIS SECVNDI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Adhortor itaq; primum omnium ut fiant deprecationes.

Prima

EPIST. I. AD

Prima huius capituli propositio seu pars, quam superioribus illatiua particula ideò adiungit, quia suprà meminerat naufragij circa fidem, quod patiuntur illi, qui conscientiam polluunt. Hic itaq; monstrat modum conseruandæ conscientiaë bonæ, ac tria indicat. Primum, quòd nostrarum uirium non sit, nos immunes & inculpato seruare, quin polluamus subinde conscientiam. Deinde ostendit unde, & quomodo sit impetrandum auxilium, quo conscientia conseruari possit illæsa, & polluta, nempe à Deo per serias preces. Tertium, cum primum omnium addit, uult ut quotidiana exercitia pietatis, à precibus & gratiarum actione ordiamur. Nam primum omnium ad cultum Dei quotidianum referendum est.

Deprecationes, petitiones,
intercessiones, gratiarum actiones.

Orationis formas enumerat quatuor, quæ ita distingui possunt. Deprecatio est, qua deprecamur mala tum à nobis tum ab alijs. Petitio est, qua præsidium aduersus Ecclesiæ hostes imploramus. Intercessio

T I M O T H.

io est, qua petimus salutaria alijs. Gratiarum actio est & professio, qua palam testamur, unde acceptum est beneficium, & gratæ mentis pro accepto beneficio testatio. Horum prius ueritatis, posterius iusticiæ est proprium. Tametsi autem gratiarum actionem postremo loco collocauit, in quotidianis tamen exercitijs reliquas præcedere debet. Par enim est, ut accepta beneficia agnoscamus, priusquam petamus noua.

Pro omnibus hominibus.

Non uult pios pro se tantum esse sollicitos, uerum etiam pro alijs, nisiq; non solum notis & familiaribus, & eiusdem religionis, uerum etiam pro omnibus promiscuè: quod quidem caritatis lex, præceptum Domini, communis necessitas, & plurima probata exempla requirunt. Oratio autem quæ fiet pro omnibus, niti debet Christi sacerdotio, & promissione. Nam ut per Christum nostræ preces exaudiuntur, ita ipsius promissio fidem exauditionis facit. Nec distributiua particula ad mortuos se extendit, id quod ex rationibus additis manifestum est. Quare cum oratio pro mortuis nec mandatum, nec pro-

EPIST. I. AD

promissionem, nec probata exempla habeat, impia censenda est, ut quæ fide destituta humanis somnijs nitatur.

Pro regibus & omnibus in
eminentia constitutis.

Tantum unam speciem subijcit generi, nam pñ poterant aliàs excipere hanc speciem: propterea quòd tum temporis omnes mundi reges aduersabantur Evangelio. Verum Paulus illam exceptionem præoccupat, significans potestates esse ordinationes Dei, quæ precibus sanctorum tanquam sustentaculis indigent. Huius exhortationis Paulinæ præceptum, & exemplum habemus. Præceptum est, Diligite inimicos uestros. Et orate pro his, qui uos diris execrantur. Vnde sequitur, multò ardentius orandum esse pro pñs, & gloriæ Dei studentibus, non solum regibus, uerumetiam omnibus alijs. Exemplum, Moses Deum sollicitat pro Aegyptijs, & exauditur. Magnum sanè nostri officij exemplum, ut nos quoq; supplicemus pro his, qui diuersam consecantur doctrinam, uerùm hîc distinguendum est inter personas, ordinationes Dei, & peccata, qui-

T I M O T H.

quibus contaminantur sæpe qui Magistratu funguntur. Pro personis orandum est, ut conuertantur ad Deum, ut conseruentur, ut regantur à Deo, uerùm si conuerti non uelint, ut Deus eos compescat, ne sæuiant in ipsius Ecclesiam. Pro ordinationibus diuinis, ut status diuinitus constituti sint incolumes. Contra peccata orandum est, ut non crescant, in contumeliam Dei & Ecclesiæ destructionem. Cùm itaq; oramus contra Papam, non personæ ipsius malè cupimus, quam uellemus, si modo pñ sumus, potius emendari & conuerti ad Dominum, ut unà nobiscum æternum Deum celebraret, sed contra tyrannidem, sopisticam, & hypocrisin eius, quibus Christi Ecclesiam crudeliter inuadit. Cùm addit, Pro omnibus in eminentia constitutis, genus pro specierum enumeratione ponit, uult enim, ut pro omnibus ñs, qui aliqua legitimi officij dignitate eminent, (ut sunt Duces, Comites, Principes, Præfecti, Consules, Doctores, Præceptores, Patroni,) precemur Deum, quò in singulis statibus & ordinibus omnia ritè & legitimè fiant.

Vt placidam & quietam uiam
tam

EPIST. I. AD
tam degamus, in omni pietate
& honestate.

Confirmat propositionem argumen-
to à quadruplici utilitate sumto, & simul
indicat non fore irritas preces, quæ pro
magistratu & alijs fiunt. Primus fructus
est, placida uita, id est, non turbata bellicis
tumultibus ab externis hostibus. Secun-
dus est, quieta uita seu quies, quæ πολυ-
πραγμοσύνη opponitur, quemadmodum
ostendi in priore Epistole ad Thess. cap. 4.
hac quiete suo officio ritè fungi quilibet
contendit, in suum & aliorum commo-
dum. Tertius fructus est pietas. Nam cum
bellis omnia turbantur, negliguntur stu-
dia literarum, negligitur iuuentus, ut in
pietate institui non possit. Quartus fru-
ctus est, honestas uitæ. Est enim σεμνότης
sanctimonia, & honesta morum seueritas,
qua innocentia uitæ & grauitati studeant
homines. Obseruemus itaq; hoc loco,
quòd per preces piorum respublicæ tran-
quillitate & pace fruuntur. Deinde, quòd
huius tranquillitatis seu pacis publicæ tres
sint fines. Primus, quies in agendo pro-
pria, absq; curiositate. Secundus, pietas er-
ga Deum. Tertius, uitæ honestas seu gra-
uitas,

T I M O T H.

uitas. Pace igitur & tranquillitate publica, diuinitus concessis ad preces piorum, impiè abutuntur, quotquot tyrannidis, luxus, gulæ & aliorum vitiorum occasionem inde petunt, ingentes cum sibi tum alijs calamitates accersentes. Iram enim Dei suis sceleribus prouocant, quemadmodum populus Israëliticus subinde fecit, donec de ipso grauissimum supplicium sumtum sit: quale iam haud dubiè propter inundationem omnium scelerum in mundo timendum est.

Hoc enim bonum & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Alia ratio propositionis, ab honesto sumta: cui additur confirmatio ab affectu Dei erga homines. Cum enim dicit, bonum & acceptum coram Deo esse, significat, & quod pijs gratissimum esse debeat, & quod in omni actione primum quærendum sit, Deone accepta sit actio an non. Creaturæ enim iurè sufficere de-

E bet

EPIST. I. AD

bet hæc ratio: Hoc factum est rectum, ac Deo probatum, Igitur faciendum. Debet enim creatura iure creationis, obedientiã suo creatori. Confirmatio sequitur, Quia omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hic est affectus Dei erga omnes homines. Obseruemus hîc duo. Primum vniuersale dictum, videlicet, quòd Deus velit omnes saluos fieri, in quod dictum & nos includamus. Deinde consequendæ salutis ratio, nempe quòd velit omnes ad cognitionem veritatis venire. Est enim hæc cognitio (quæ Synecdochicos etiam fidem complectitur) ordinarium instrumentum, quo velit nos Deus oblatam salutem recipere. Requirit itaq; hæc Dei voluntas conditionem fidei, seu conuersionis, sine quibus Deus non vult quenquam saluari, iuxta illud: Qui non credit, ira Dei manet super eum. Breuiter proinde hic sensus est. Deus vult omnes homines saluos fieri, modo fide oblatam salutem recipere non recusauerint. Quidam uniuersalem particulam ad ordines hominum referunt, quia hîc deregibus fit mentio, quos probat non exclusos esse à salutis promissione. Sed illud ex verbis Pauli sequi dico. Nam cum dicit,
 Deus

T I M O T H.

Deus uult omnes homines saluos fieri. Sequitur, quòd reges & alij constituti in eminentia, qui in hominum numero sunt, ad hanc salutem, modò crediderint, admittantur. Hanc esse ueram & genuinam horum uerborum sententiam, confirmant ætiologiæ, quæ sequuntur.

Vnus enim Deus.

Deum uelle omnes homines saluos fieri, probat à connexis, ut enim unus est mundus, qui totus opus est Dei, cum hominibus qui in eo sunt; Ita unus est Deus natura & essentia. Non enim hîc de personis, sed tantum de essentia diuina agit, quare perperam faciunt, qui hoc loco abutuntur ad euertendam personarum trinitatem. Hoc ipso argumento utitur Paulus ad Roman. 3. ad probandam iustificationem gratuitam pertinere ad omnes, qui eam apprehendere uolent. An (inquiens) Iudæorum Deus tantum? an non & Gentium? quandoquidem unus Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

E 2 Vnus

EPIST. I. AD

Vnus & mediator Dei &
hominum homo Christus Ie-
sus.

Ab vnitate Mediatoris, & coniuncti-
one eius nobiscum, probat Deum velle om-
nes homines saluos fieri, & ad agnitio-
nem veritatis venire. Hic Mediator, hu-
mana natura assumpta, omnibus huma-
nitate (id est, humana natura) coniunctus
est. Nam omnes in humanitatis natura
communicat. Quare ipsum hominum sa-
lutem velle, dubium esse non potest: sed
vt pater, nempe per ordinarium instru-
mentum, quod est fiducia in hunc Media-
torem. Porro cum intelligebat Paulus nos
nunquam adduci posse, vt ad Deum con-
fugeremus, nisi prius essemus persuasi, no-
bis Mediatorem proximum esse, nosque
attingere, ostendit vbi sita est, & quiescit
fiducia nostra, vt adhæreamus Christo,
eumq; pro Mediatore quæramus, videli-
cet, quod nobiscum coniunctus sit, vt
eiusdem naturæ particeps. Id quoq; in-
telligit Esaias Propheta, cum nominat
ipsum Emanuelem, id est, nobiscum De-
um. Hoc enim sine vera similitudine, &
naturæ vnione fieri non potuit. Verus
igitur

T I M O T H.

igitur Deus, & uerus homo in vnitate personæ; est noster Mediator Iesus Christus. Quàm autem necessarium fuerit, eum qui Mediator noster futurus esset, verum Deum & hominem verum esse, constat ex officio Mediatoris, quod in eo consistit, vt homines cum Deo conciliet, & inimicitias capitales aboleat, quæ prius intercedebant, nulla autem spes erat, id futurum, nisi Dei maiestatis ad nos descendisset, seque cum naturæ nostræ infirmitate coniunxisset. Similiter officium Mediatoris erat, nos filios Dei atque hæredes regni Dei efficere, cum antea mortis & damnationis hæredes essemus. Hoc arrabone fiducia nostra confirmatur, quod sumus filij Dei, quia filius eius naturalis, corpus à corpore nostro, & carnem è carne nostra assumpsit. Præterea id omnino ad redemptionem nostram necessarium erat, vt inobedientia commissa in carne, in eadem sarciretur. Ideo venit Dominus noster reuera homo, veluti personam ipsius Adam referens, cuius etiam nomen sumsit, vt pœnam peccati in carne, in qua admissum fuerat, persolueret. Huc dictum Irenæi ex libro 3. referendum est. Oportebat, inquit, Mediatorem Dei & hominum, propter suam ad utrosque do-

EPIST. I. AD
mesticitatem, in amicitiam & concordiam
utrosque reducere, & facere, ut Deus reci-
peret hominem, & homo restitueretur
Deo.

Porro, sunt, inter quos conuenit Chri-
stum Mediatorem esse, qui tamen de mo-
do non consentiunt. Quidam enim ad
naturam diuinam solam, ut Osiander,
Quidam ut Stancarus ad humanitatem
solam. Ecclesia vera ad totam personam
redemptionis officium refert. Quare breui-
ter, quid sit de hac re sentiendum, quibus-
dam regulis ostendam.

Prima regula, Discernendæ sunt ap-
pellationes, quæ naturarum proprietates
significant, ab officij appellationibus. Ut
Deus, omnipotens, creator, sunt appella-
tiones ad diuinam naturam referendæ.
Homo passus, vulneratus, mortuus, sunt
appellationes ad humanam naturam refe-
rendæ.

Secunda regula, Nomina officij, toti
personæ, non alterutri seorsim, competunt,
ut sunt hæc, Mediator, redemptor, rex, sa-
cerdos, pastor &c. Nam hæc per se, & seorsim,
nec humanæ naturæ, necque diuinæ con-
ueniunt, sed toti personæ. Quod ex eo pro-
batur potest, quod officium redemptionis
inter-

T I M O T H.

interdum tribuatur Messię sub appellatione humanę naturę, interdum sub appellatione diuinę naturę. Et rursus sæpissimè sub appellatione totius personę. Moses dicit, Semen Mulieris contriturum caput serpentis. Et Ieremias affirmat ipsum Iehoua esse iustificatorem nostrum. Et Epistola ad Hebręos, Habentes Pontificem magnum, egressum cęlos Iesum, filium Dei. Hoc testimonium pontificatum tribuit toti personę. Hęc diuersis licet vocibus, idem tribuitur Semini mulieris, & Iehoua seu λόγος Dei patris coęterno, & Iesu filio Dei. Verum hoc non conuenit alicui naturarum seorsim. Nam vt diuina natura pati non potuit: Ita humana sustinere iram Patris minimè valebat. Quare istę locutiones, prima & secunda, non per communionem idiomatum intelligi possunt, Sed per tertiam explicandę sunt. Hęc enim aperte conuincit superiores per Synecdochen intelligendas esse, hoc modo: Iehoua est iustificator noster, id est, illa persona, quę est Deus, assumpta humana natura. Semen mulieris conteret caput serpentis, id est, illa persona, quę est Semen mulieris, seu homo, vt officium redemptionis sit personę totius. Cũ igitur Paulus dicit,

E 4 Vnus

EPIST. I. AD

Vnus est Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus, Sensus est hic: Homo Iesus qui est Christus, est Mediator, Non itaq; Paulus excludit naturam diuinam, quia personæ appellationem adiecit, sed ideo humanitatis peculiariter meminit, quia hoc magis argumenti vis, vt supra declaratum est, requirebat. Præterea & hunc locum malignè contaminant Papiſtæ, qui honorem mediatoris Christo detrahentes, sanctis attribuunt: Idq; non solum contra verbum Dei, verumetiam in contumeliam Iesu Christi. Primum enim ex hoc quòd dicitur, vnus Mediator, ridiculè vrgent voculam vnus, & dicunt se fateri nobiscum, Christum quidem unum esse Mediatorem, sed eum solum esse pernegant. Tametsi apertè peristasis loci contra illos militat. Nam eadem significatione, qua dixerat, vnus Deus, ut qui communis sit omnibus hominibus in mundo: ita mox addit, Vnus Mediator, significans eum similiter omnibus communem. Vnde sicut apertè falsum esse conuincitur, Deum non solum esse Deum, quia vnus dicatur, Ita etiam mera calumnia est dicere, Christum non solum esse Mediatorem, quia vnus hic à Paulo dicitur:

T I M O T H.

tur: Cùm tamen Paulus hunc unum communem statuit omnibus hominibus, ex eo quod dederit seipsum precium redemptionis pro omnibus. Sunt qui cùm hanc apertam calumniam excusare non audeant, ad distinctionem confugiunt, dicunt enim Christum Mediatorem esse, sed expiationis, sanctos uerò esse mediatores intercessionis, quia iubentur Christiani pro se inuicem orare. Speciosa quidem hæc oratio, sed in ea plus ueneni, quàm mellis inest. Respondeo igitur, uerum esse quòd iubentur Christiani pro se inuicem orare. Sed inde sequi nego, intercessores aut patronos esse demortuos sanctos pro uiuis & defunctis. Nam dum intercessores nominant Papistæ, intelligunt patronos, qui sua dignitate & meritis, nobis patris cœlestis gratiam mereantur. Quod aperte cum unici Mediatoris honore pugnat. Nam triplex impietas in isto errore papistico se profert. Primum enim, quòd mortuos uiuorum intercessores statuunt, sine testimonio uerbi Dei. Deinde, quòd doceant nitendum esse illorum meritis. Postremò, quòd tales fictitios patronos colendos & inuocandos statuunt. Cæterum quòd sancti in mundo uiuentes, orent pro

E S se in-

EPIST. I. AD

se inuicem in hoc mundo, id quidem faciunt non sua dignitate, sed patrocínio unici mediatoris Christi freti, cuius unius dignitate & intercessione se exaudiri statuunt, iuxta promissionem: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

Qui dedit seipsum precium redemptionis pro omnibus.

Ab effectu tanquam euidentissimo iudicio, confirmat Christum unicum nostrum Mediatorem esse, qui iram Patris placauit, se ipso in hostiam pro peccatis dato. Cum igitur hic honor placandi Patrem soli Christo competat, & nulli alij, rectè ex eo Paulus, Christo soli hunc intercessionis honorem uendicat. Obseruemus & hinc uniuersalem (pro omnibus) quæ profectò non ad omnes ordines tantum, uerum etiam ad omnes ordinum homines, quibus credentibus applicatur meritum Christi, referri debet.

Testimonium temporibus suis.

Chrysofomus ipsam Domini passionem testimonium uocat, certo tempore
exhi-

T I M O T H.

exhibitum. Tametsi autem suo tempore (hoc est, à Patre præfinito) hoc testimonium edidit, tamen omnium temporum & hominum sufficiens ἀντίλυτρον est, hoc est, redemptionis precium. Atq; hoc testimonium per prædicationem Euangelij reuelatur mundo, ut credentes inde salutem hauriant, proinde propter prædicationis dispensationem, testimonium dicitur salutis credentium, ruinæ uerò & damnationis credere recusantium.

In quod positus sum ego, prece & Apostolus (ueritatem dico in Christo, non mentior) doctor Gentium in fide & ueritate.

Quia Iudæi promissionem salutis ad se tantum pertinere rati, morosè clamabant, exclusas esse gentes à spe salutis, anticipat, & à destinatis probat salutem ad gentes quoq; pertinere. Nam si Paulus diuinitus destinatus est Apostolus gentibus, & functio Apostolatus salutis eorum annunciatio est, ad quos Apostolus mittitur, certè gentes extra salutis spem esse non possunt, quibus diuinitus est destinatus
Apo-

EPIST. I. AD

Apostolus. Iuramentum interposuit, quo maiorem haberet autoritatem & fident, asseueratio. Iam si ad gentes quoq̃, ut ad Iudæos salutis spes extenditur, profectò par est pro omnibus precari, ut oblatam gratiam fide recipiant omnes.

Volo igitur uiros orare.

Conclusio est, sed distributione ac circumstantiis quibusdam amplificata. Nam simul uirorum & mulierum mores & gestus inter orandum exprimit.

In omni loco.

Cum semper orandum esse aliàs docuit, iam locum orationi omnem aptum docet. Nam ubicunq̃ pius est, circumfert secum templum Dei: in quo cultum Deo præstare conuenit. Nec pugnat hic locus cum dicto Christi, qui iubet, ut oraturi intrent in conclauē. Nam hoc dictum solam Hypocrisin excludit.

Sustollentes manus puras.

Manuum puritate sinceros affectus, & bonam conscientiam intelligit. Nam ut contaminatæ manus quidquid attingunt, polluunt, Ita cor impurum seu conscientia

T I M O T H.

ria mala, orationem inquinat & conspurcat.

Sine ira & disceptatione.

Necessaria orationis adiuncta ponit duo. Primum, ut fiat oratio sine ira. Hic Synecdochicè omnem uitiosum affectum uult ab oratione abesse, Vult nos neminè odisse, sed amicè omnes complecti. Deinde, sine disceptatione, hoc est, sine disputatione & hæsitatione de accipiendis petitis, iuxta illud, Quicquid petieritis credentes, accipietis: Sed cum hac conditione, modo in gloriam Dei & uerè in nostram salutem cedant petita. Puritas enim manuum & fides nos monent, ut aliud nihil oremus. Et Christus uult, ut patris uoluntati nostras preces subijciamus.

Similiter & mulieres in amictu modesto cum uerecundia, & modestia ornare sese, non cincinnis, uel auro, uel margaritis, uel uestitu præcioso, sed (quod decet mulieres pietatem spondentes) operibus bonis.

Alterum distributionis membrum est de

EPIST. I. AD

de mulieribus, quas uult similiter orare, leuatis puris manibus, in omni loco. Sed commendat illis amictum, qui testari poterit de illarum uerecundia, & temperantia, & corrigit uitia matronarum, quæ fuerunt Ephesi, quæ nimium luxu defluerunt, sumto argumento à pietatis professione, quam professionem ornare bonis moribus, modestia, uerecundia & temperantia atq; alijs pietatis exercitijs, decet.

Mulier in quiete discat, in omni subiectione. Mulieri autem docere non permitto, nec autoritatem usurpare in uirum, sed esse in quiete.

Secunda huius capituli propositio, continens canonem Ecclesiasticum de disciplina & moribus mulierum. Hoc canone duo præcipiuntur mulieribus, & duo prohibentur. Primum præcipitur, ut quietè sine tumultu discant, ut eas decet, quæ subiectionis legi obnoxia sunt. Deinde, ut sint in quiete, ac sua agant, tractentq; ea, quæ ad mulieres pertinent, non ingerentes se in uirorum negotia. Prohibetur

T I M O T H.

betur primū, ne publicè doceant mulieres. Deinde, ne auctoritatem in viros sibi vsurpent. Hæc eò pertinent, vt in Ecclesia sit ordo & ἑνταξία, non vt inde sumamus argumentum contemnendi sexus muliebris, nec ita iubentur silere, quin eis salutaria consilia dare maritis liceat, si quando id res postulare videtur, id quod historia Iudith, Deborah, Annæ, & aliarum ostendit. Imò Abraham iubetur à Domino, vt vxoris consilio obtemperet, de eijcienda ancilla Agar. Præterea piarum Matronarum est, vt domi familiam voce, Ita & disciplina domestica, pietatem docere: imò & maritos cessantes, & ignauos sui admonere officij possunt. Paulus enim hic de disciplina communi agit, quæ non excludit necessaria consilia, & deliberationes mulierum honestarum.

Adam enim primus formatus est, deinde Eua.

Rationes propositionis petit ex attributis personarum, seu connexis, Argumentum hoc est, Adam prior formatus est, deinde Eua. Igitur uir debet habere auctoritatem in mulierem, atq; illa uiro subiecta

EPIST. I. AD

eta esse debet. An igitur, qui prior est tempore, prior est etiam autoritate? an non creationis series indicat, reliqua omnia ante Adamum creata esse, & tamen ei subiecta esse? proinde argumenti *σώεχου* uideretur debile. Verum hic tempus & causam simul respicere oportet. Adam est quidem formatus ante mulierem, sed non propter mulierem. Mulier contra post uirum formata est, sed propter uirum, ut eius adiutorium esset, ei subiecta. Quapropter causa ipsa formatæ mulieris argumenti Synechon est, atq; ita hac ratione rectissimè adimit Paulus mulieribus in uiros dominium.

Et Adam non seductus est, mulier autem seducta in transgressione fuit.

Hac ratione docendi munus adimit mulieribus. Mulier est seducta, nō Adam. Igitur muliebris sexus est aptior seductioni quàm uirilis sexus. Proinde cum male cessit docendi munus quod sibi usurpauit Eua, reliquæ mulieres à docendi munere abstineant: sed cum exceptione, de qua paulò antea admonui. Sed quid est, quòd
neget

T I M O T H.

neget Adam deceptum? an non porre-
ctum ab Eua pomum contra interdictum
Domini gustavit? Respondeo. Chryso-
stomus fatetur vtrumque deceptum esse,
Adam nimirum & Euam, sed comparati-
one distingui deceptionis modum. Nam
si ad dolos & sophisticam Satanæ, qua is
mentem mulieris peruertit, respexeris,
Adam profectò isto modo minimè est de-
ceptus. Verùm si ad mulierem respexeris,
caritate vxoris in perniciosum obsequi-
um pertractus est Adam. Atq; ita priori
respectu non est deceptus, Sed posteriore
tantùm pertractus est in errorem, & ex er-
rore in ruïnã, in quam totam posterita-
tem coniecit secum. Hæc Chrysofomi est
distinctio. Potest autem & alia declaratio
sumi à priori membro, vt quemadmo-
dum suprã dixit, Adam prior formatus
est, deinde Eua: Ita Eua prior decepta est,
& deinde Adam. Vnde facilis mulierum
lapsus in errorem, & ex errore in ruïnã,
in quam totam posteritatem coniecit se-
cum. Quare minimè consultum est, vt do-
cendi munus committatur mulieribus.

Saluabitur autem per filio-
rum generationem, si manserit

F in

EPIST. I. AD
in fide & dilectione & sanctifi-
catione cum sobrietate.

Hoc, & in consolationem, & in instru-
tionem mulierum adiectum est. Etsi enim
mulier seducta est, tamen gratiæ Dei non
minus quàm vir particeps fieri potest,
modo Christi gratiam fide amplexa fue-
rit. Papistæ quidam hoc loco fœdè erra-
runt, qui in hanc sententiam præsentem
locum explicant: Saluabitur mulier per
filiorum generationem, modò filij in fide
& dilectione &c. manserint. Ex priori
membro iusticiam operum extruunt. Ex
posteriori, in contumeliam sancti coniu-
gij perruperunt. Nam si tum demum sal-
uabitur mulier, si filij in fide manserint,
certè extremè periculosus erit status con-
iugalis. In hoc errore & diuus Hierony-
mus fuit, verùm hîc duplex error com-
mittitur, Prior, quòd Paulum de causis
iustificationis agere putant, cùm de vita
iustificatarum mulierum agat. Cuius sa-
nè vita hîc præscribitur. Primum enim
proprium mulierum opus ponit, nimi-
rum liberorum generationem. Deinde,
commendat eis reliqua pietatis exercitia,
sine quibus profectò fides retineri nequit.

Nam

T I M O T H.

Nam, qui facit iusticiam, iustus est. Et Salomon, Qui ambulat in integritate, iustus est. Deinde & in hoc errant, quòd manserint, ad filios referunt, non attendentes nomen Græcum, quo significatur generatio liberorum, singulare esse. Proinde sensus est, Saluabitur per propagationem, si manserint scilicet mulieres. Est enim Synthesis, qua non tam verborum quàm sensus ratio habetur. Hic locus in genere nos admonet, de officio ex fide & bona conscientia præstando: quod ubi non fit, in naufragium fidei incurritur. Ideoque non mirum est, mulieres saluari per officia debita. Quia sunt fidei testimonia, & effectus, non causa & merita salutis.

C A P V T
T E R T I V M.

S V M M A T E R T I I
C A P I T I S.

F 2 Epi-

EPIST. I. AD

EPiscopi, Diaconi, eorumq; vxores, in-
culpatis sint moribus, recteq; conuer-
sentur in domo Dei, quæ est Ecclesia,

ORDO TERTII
CAPITIS.

Primum exponit virtutes, quibus præ-
ditus esse debeat futurus Episcopus,
seu minister Euangelij, & simul vitia haud
ferèda attingit. Deinde mores Diaconis &
illorum vxoribus præscribit. Tum com-
mendat Timotheo hæc præcepta ab ho-
nesto seu dignitate domus Dei, in qua con-
uersari oporteat Episcopum. Vnde in
commendationem ministerij Euangelij
delabitur.

EXEGESIS TERTII
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Fidelis sermo.

Hoc Chrysostrmus aptat superiori
capiti, vt sit clausula, continens asseuera-
tionem eorum, quæ ibi disputata sunt, Alij
volunt, vt sit exordium huius tertij capi-
tis, quo attentum reddit Timotheum, vt-
que cogitet, illos solos esse idoneos ad offi-
cium

T I M O T H.

cium Episcopale, in quibus virtutes enumeratæ inueniuntur, sciatq; tales à se ordinandos in Episcopos seu Pastores.

Si quis Episcopatum appetit, bonum opus desiderat.

Hæc propositio est sequentis expositionis, continens fundamentum, vnde virtutes Episcopi extruit. Cõmendat autem Episcopale munus ab honesto, cui vt plurimum arduum coniunctum est, iuxta proverbium: Quæ pulcra eadem & difficilia. Quatuor ex verbis Pauli colligamus, Primum, quòd non sit reprehendendum, si quis Ecclesiæ indigenti modeste, sine ambitione suam operam seu ministerium offerat. Nam, si per ambitionem quis appetat, non Dei, sed Satanæ spiritu impelli putandus est. Secundum, quòd Episcopalis functio sit honesta, testimonio Spiritus sancti, quo pñ confirmari debent, aduersus prophanorum hominum iudicia & calumnias. Tertium, quòd Episcopi functio non in titulo aut dignitate tantum, verum multò magis in arduo ac difficili labore sita sit, id quod Episcopi nomen arguit, Episcopus enim ab inspicien-

F 3 do no-

EPIST. I. AD

do nomen habet. Nam est inspector, qui, ut Ecclesiam, cui præest inspicit, ita curat, quæ ad Ecclesiæ incolumitatem pertinere videntur. Hoc itaq; nomine, Paulus eos intelligit, qui in certa sede certum populum docuerunt, hodie Pastores & Parochi dicuntur. Quartum, quòd officij dignitas requirat morum gravitatem officio respondentem. Ut enim hic Paulus proposita eminentia officij infert morum descriptionem, respondentium tanto muneri: Ita in alijs quoq; functionibus ex officij eminentia, vitæ regula petenda est.

Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse.

Iam infert descriptionem virtutum Episcopi, estq; hoc argumentum, Episcopatus est præclarum & honestum opus, igitur oportet eum, qui futurus est Episcopus, irreprehensibilem esse. Ex eodem antecedente, reliqua quæ sequuntur, extruuntur, quod hoc loco dixisse, satis sit. Sed quid est irreprehensibilem esse? Est esse sine crimine, ut ad Titum ipse Apostolus exponit. Talis enim est, qui reprehensioni hominum iustè, & criminali infamiae non est obnoxius. Proinde hic loquitur

T I M O T H.

quiritur de foro hominum, non de foro Dei, in quo nullus est innocens.

Vnius uxoris uirum.

Tempore Pauli fuerunt ex gentibus conuersi, qui simul plures vxores habuerunt, tales arcet Paulus ab Episcopali functione, non prohibet Paulus, quin alteram post priorem defunctam ducere possit Episcopus. Prætereà, vt hac sententia non prohibetur, quin Episcopus possit esse, qui vxorem non habeat. Non enim hîc legem præscribit necessitatis, sed prohibet tantum plures simul habere vxores, id quod testimonium est incontinentiæ, ideoq; reprehensione minimè caret: ita contra spiritum Dei, & violenter, contra Euangelicam constitutionem faciunt Pontificij, qui sacerdotibus coniugio interdiciunt. Interpretatio Papistica huius loci ineptior est, quàm vt confutatione indigeat. Non enim hîc loquitur Paulus allegoricè, sed propriè mores futuri Episcopi describit.

Vigilantem.

Vox Græca latius patet. Nam $\nu\kappa\phi\alpha\lambda\omicron\varsigma$ & vigilantem & sobrium significat,

F 4 sed

EPIST. I. AD

sed hîc pro priori significato, vt Erasmus vertit, ponitur, quia postea de sobrietate sequitur, dicitur autem vigilans, qui omne studium & vigilantiam rei gerendæ adhibet, quiq; vigilanter ab omni parte prouidet, ne quid, quod sui officij est, negligat.

Temperantem.

Græcè, σόφρωνα: qua voce significatur harmonia quædam & concentus omnium virium animæ cum recta ratione; vt nec ira quicquam præter imperium rationis agat, nec affectus alius rationis moderamen excutiat. Hîuc pulcerrimè Plato σωφροσύνην harmoniam vocat διαπαιθήν, in qua à ratione ira διαπέντε ascendendo distat, & concupiscentia ab ira ascendendo διαπώρωρ. vide Timeum Platonis cum, & commentarium Procli.

Modestum.

Græcè κόσμιον, qua voce significatur propriè modestia & moderatio quædam, qua ordo, ratio & æquitas in rebus omnibus adhibetur, vnde κόσμιος interdum etiam eum, qui moribus compositus est, significat.

Hospit

TIMOTH.
Hospitalem.

Græcè *ἑλωξενον*, hoc est, amantem peregrinorum, significat enim hæc vox habitum, benignè ac amanter complectendi peregrinos, quod sanè nemini denegatum est, etiam si tenuissima fuerit fortuna.

Aptum ad docendum.

Græca voce significatur habilitas, seu aptitudo quædam ad docendum, ad quam rem requiritur non solum liberalis doctrina, & exercitatio: verum etiam singularis prudentia: nimirum, ut quis rectè secet verbum Dei, hoc est, ut pro conditione hominum rectè doctrinam accommodet, ut impuro ac selerato nebuloni, non Euangelij gratia, sed ira Dei & maledictio Legis proponenda est: ita turbatæ conscientiæ, gratiæ diuinæ thesaurus explicandus est, ut inde vulneris conscientiæ medela desumatur.

Non uinolentum.

Vox græca *πάροινον* tum vino deditum, tum ex nimia vini petulantia, in aliquem contumeliosum esse significat, unde Chrysostomus contumeliosum & præfractum interpretatur.

F 5 Non

ΕΠΙΣΤ. Ι. ΑΔ
Non percussorem.

πληκτής cum percussor, tum conuiciator dicitur, vtrumq; scdum in ministro Euangelij vicium est. Obiurgandi sunt sæpè contumaces & inobedientes à ministris Euangelij, sed paternè, non tyrannicè & furiosè.

Non turpiter lucri cupidum.

Ad verbum, non turpilucrum. Debet igitur nec cauponarium, nec scenus, nec alias turpis lucri vias sectari, sed suum officium augustius iudicare, quàm vt illud prophanis rebus contamine.

Sed æquum seu moderatum.

Voce græca significatur is, qui non ex rigore legis, sed ex æquo & bono de rebus statuit. Sæpè enim summum ius summa est iniuria. Et Aristoteles, Qui nimium legem exactè & rigidè intuentur, fit Syco-phanta.

Alienum à pugnis, alienum ab avaritia.

Hæc superioribus coniuncta sunt, vt eorum effectus.

Qui

TIMOTH.

Qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione, cum omni reuerentia.

Vult non solum Episcopum ex propria domo adferre honestorum morum exempla; verum etiam ex gubernatione domestica, coniecturam vult peti de administratione Ecclesiastica, ideo subiungit.

Si quis propriæ domui præesse non nouit, quomodo Ecclesiæ curam habebit?

Argumentum à minori est. Fieri enim minimè potest, vt qui in exigua administratione torpet, in maiori sit futurus vigilans & industrius.

Non nouitium, ne inflatus incidat in iudicium Diaboli.

Hoc non ad ætatem, sed ad inaugurationem, qua quis Christo inauguratus est, referendum est. Vnde Chrysostronus $\nu\epsilon\omicron\phi\upsilon\tau\omicron\mu$ interpretatur $\nu\epsilon\omicron\kappa\alpha\tau\eta\chi\eta\tau\omicron\mu$, id est recens in religionis doctrina instructum. Estq; pulcherrima metaphora in voce græca, $\nu\epsilon\omicron\phi\upsilon\tau$ enim significat plantam recens

EPIST. I. AD

recens plantatam, quæ nondum altas radices egit. Cuiusmodi plantæ per similes iudicat Paulus eos, qui recens ad Christianismum conuersi sunt. Ut enim plantata planta estu solis feruentiori succumbit facile, & arescit, cum contra, quæ radices egit, aduersus ardores solis inuicta manet; Ita recens imbutus, in doctrina fidei, persecutione ingruente, facile frangitur, fidem abijcit, redit ad pristinos mores, atq; ita in Diaboli iudicium incidit. At qui diutius est in doctrina educatus, tanquam miles iam expertus, non ita facile cedit persecutioni, & scandalis. Additur ratio à grauitate poenæ; ne videlicet inflatus, scilicet honore nouo, magnificè de se sentiat, ac in Diaboli iudicium incidat, hoc est, in similem condemnationem cum Diabolo ruat, qui ob suam superbam, contumaciam, condemnationis reus est factus. Alij de homine calumniatore interpretantur, ut in iudicium calumniatoris incidere, sit præbere calumniatori maledicendi occasionem. Sed prior interpretatio, quæ est Chrysofomi, accommodatior est præsentis loco, ut quæ grauius argumentum contineat.

Opor

T I M O T H.

Oportet autem illum & bonum testimonium habere, ab extraneis, ne in probrum & laqueum Diaboli incidat.

Adeò inculpata vitam requirit ab Episcopo, vt non solum benè audiat ab amicis, verum etiam ab hostibus, ne possint quicquam ei criminis obijcere iuste. Extraneos vocat alienos à religione Christiana, eiusq; hostes. Sed quomodo hoc fieri potest, vt hostes religionis ferant honestum testimonium preconibus Euangelij? an non Paulum erronem & spermologum vocarunt Græci? Distinguendum est inter doctrinam, & vitam. Vita talis esse debet, vt iure nihil possint aduersarij in eo reprehendere. Doctrina ipsa ferat suam fortunam in hoc mundo. Habet enim satis magnum à Deo testimonium, nec indiget vllius hominis precario suffragio. Huc dictum Domini referendum est: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera. Porro huius attributi geminam rationem subiicit, quarum posterior ex priori manat, qui enim in probrum incidit, hoc est, qui infamis factus est,

EPIST. I. AD

est, nullo peccandi pudore retinetur, sed laxat turpitudini frena, ac se totum Diaboli laqueis prostituit. Est autem peccandi impudens consuetudo, laqueus ille, quo captiuos tenet homines Satan. Quare nihil periculosius homini esse sciamus, quàm peccatis indulgere. Nam hoc non peccanti solum nocet, verum etiam alijs peccandi fenestram aperit.

Diaconos similiter graues, non bilingues, non multo uino deditos, non turpiter lucri cupidos.

Transit ad mores Diaconorum describendos, in quibus eadem propemodum (paululum mutatis verbis) quæ supra in Episcopis, requirit. Et si autem Diaconorum nomen generale est, Hic tamen pro certa ministrorum specie sumitur. Sunt autem hoc loco Diaconi ministri, qui externæ Ecclesiæ gubernationi in externis bonis præfuerunt, Quales septem illi fuerunt, de quibus in Actis cap. 6. Hi collatas ab alijs elemosynas, & à se receptas pro necessitate fratrum & sororum distribuerunt. In quo officio, qui se probè gesse-

T I M O T H.

gesserunt, postea in Episcopos seu Parochos eligebantur. Cæterum, de gradibus ministrorum Ecclesiæ in enarratione Epistolæ ad Ephes, dictum est, Nos hinc colligamus quam debeat esse innocentiam in Oeconomis mysteriorum DEI, cum adeo inculpatos eleemosynarum Ecclesiæ collectores & distributores requirat Apostolus.

**Habentes mysterium fidei
in pura conscientia.**

Post enumerationem, hoc veluti genus subiicit, ad quod, si quid in enumeratione prætermisum est, referri oportebit. Hoc superius his verbis expressit, Habens fidem & bonam conscientiam : Hic pro fide mysterium fidei posuit, Vnde tria colligamus. Primum, quod fidei doctrina supra omnem humanam sapientiam posita sit. Deinde, fidei indoles declaratur, quæ hic verbo Dei nitens & contenta, certo expectat, quæ nondum apparent. Præterea quanta sit piorum dignitas & gloria, ut quibus mysterium fidei sit concredendum, Quibus ἐλθσίνια sacra erant concredita dignitas & gloria magna esse videbatur, non putabant istorum sacrorum symmy-

EPIST. I. AD

symmystæ fas esse, vt hanc gloriam, haud dignitatem vllis maculis conspurcarent, quid illis facere par est, quibus fidei & cœlestis regni mysteria commissa sunt: atq; ista argumentum προτροπικόν continet hæc oratio, Habentes mysterium fidei in conscientia bona.

Et hi probentur primùm, deinde ministrent, si fuerint irreprehensibiles.

Exposuit quales mores requirat in Diaconis: nunc canonem subiicit de probatione eorundem. Vt enim supra neophytum, quantumuis bene moratum, in Episcopum eligi non voluit: Ita hîc Diaconos non recens ad fidem conuersos, sed aliquanto tempore probatos, recipiendos præcipit, si fuerint irreprehensibiles. Si enim famulo non prius probato, nemo administrationem domesticam committit, profectò indignum est, ei administrationem œconomicam Ecclesiæ committere, cuius mores antea non fuerint nobis explorati. Iam si probandi sunt ministri eleemosynarum, multò iustius est probari eos, quibus mysteriorum Dei œconomia demandatur.

Mulie-

TIMOTH.

Mulieres similiter graues,
non calumniatrices, sobrias, fi-
deles in omnibus.

Incertum est de quibus mulieribus loquatur. Alij enim ad vxores Episcoporum & Diaconorum hæc referunt. Chrysostomus, cui hoc parum contextui quadrare videtur, ad mulieres Diaconorum refert. Verum quia non dubium est, quin Paulus velit & has & illas probas esse, ego in genere accipiendum existimo.

Diaconi sint unius uxoris
mariti, qui honestè præsent filijs
& domibus suis.

Sicuti suprà in Episcopo requirit, vt sit vnus vxoris maritus, benèq; administret rem familiarem: Ita in hoc loco à Diaconis requirit. Bonum enim indicium est felicis administrationis bonorum Ecclesiæ, si quis rem familiarem propriam prudenter & piè administrat.

Qui enim benè ministrauerint, gradum sibi ipsi bonum acquirunt, & multam libertatem

G rem

EPIST. I. AD
tatem in fide, quæ est in Christo
Iesu.

Descriptioni Diaconorum subijcit argumentum à duplici fructu diligenter præstiti officij, externo nimirum, & interno. Externus fructus est, quòd qui in inferiori dignitatis gradu suo munere fideliter funguntur, superiorem gradum, Deo sic ordinante, consequuntur. Aut qui diligenter obit commissum munus, successum habebit felicem, Deo laborem prosperante. Internus fructus est, multa libertas seu fiducia in fide, quæ est in Christo Iesu. Hæc libertas nihil aliud est, quàm quoddam spirituale gaudium, ac *πληροφορία* spiritus, qua in Christo acquiescamus, quæ in cognitione Christi indies crescentes, omnia dura, quæ in vocatione solent incidere, infractò toleremus animo. Hæc si ad genus transferas, doctrinam & consolationem vberissimam inde hauries. Doctrinam quidem, quòd Deus bona opera & diligentiam in quavis vocatione præstitam, compensare velit, externis & internis bonis & beneficijs, iuxta parabolam de talentis, Matth. 25. Consolationem verò, quòd Deus vires & animum augere velit

T I M O T H.

velit in te, vbi tu pro viribus præsentibus facis officium.

Hæc tibi scribo, sperans breui ad te uenire, quòd si tarda uero, ut scias, quomodo oporteat in domo Dei uersari.

Hic finis est superiorum canonum, nimirum, vt domus Dei rectè administretur, omniaq; in ea ritè fiant. Et autem tacita collatio inter domum Dei & priuatam cuiusq;. Nam si hominis mortalis domum rectè & fideliter administrare virtus est, profectò multò maior gloria erit, domum Dei immortalis fideliter administrare. Ecce quantū incumbit ministris uerbi onus. Rursus cogitetur illorum gloria, qui in officio commisso se, vt decet, gerant, & contra illorū ignominia, qui in domo Dei administranda torpeant negligentiores. Deniq; omnes per baptismum Christo inaugurati, & in familiam Dei recepti admoneantur, q̄ deceat in domo Dei uersari sanctè & inculpate, ne vel domū Dei suo scelere maculent, uel ibi quicquā agant negligentius. Porro cū dicit, Sperans breui ad te uenire, consolatur Timotheū promissione sui aduentus, excitatq; ipsum ad sedulò præstandū officiū.

G 2 Quæ

EPIST. I. AD
Quæ est Ecclesia Dei uiuentis,
columna & firmamentum
ueritatis.

Hæc domus Dei descriptio, argumentum habet exhortatorium, ab honesto sumtum, vnde ad maiorem diligentiam in domo Dei adhibendam, meritò excitatur Timotheus. Sed quid est Ecclesia Dei viuentis? Est cœtus eorum, qui credunt Euangelio, & in quibus Deus spiritu suo uiuit, & est efficax, Cuius notam propriissimam addit, nimirum, quòd sit columna & firmamentum ueritatis, hoc est, (vt Chrysoströmus exponit) ueritas, hoc est, prædicatio ueritatis est columna & fundamentum Ecclesiæ. Tolle uerum Euangelij prædicationem, Ecclesia mox collabatur. Frustra igitur iactant Romanenses suam Ecclesiam, in qua ueritati Dei humanæ traditiones, & decreta aperte pugnantia cum ueritate Dei, successerunt. Proinde firmissima demonstratio ueræ & falsæ Ecclesiæ sumi ex hoc loco potest. Sed ut sit euidentior, ei addamus dictum Domini Iohan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Et illud Pauli Ephes. 2. superædificati super fundamento Apostolorum

rum

T I M O T H.

rum & Prophetarum, iam si statuere velis,
quænam sit vera Ecclesia, & quæ falsa, va-
leat regula Christi, valeat Pauli definitio,
valeat fundamentum Apostolorum &
Prophetarum. Proinde vera Ecclesia erit,
quæ Christum loquentem audit, quæ ædi-
ficata est super doctrina Apostolorum,
Contra falsa, quæ Christi doctrinam per-
sequitur, corrumpit & adulterat, qualis
hodie est Papistica, & fuit iam multis se-
culis. Teneamus igitur, non dico pedibus
& manibus, sed tota mente, quòd sicut co-
lumna & fundamentum veritatis ideo di-
catur Ecclesia, quòd doctrinam illam non,
quam sibi ipsa composuerit, vt Romana
Synagoga fecit, sed Apostolorum & Pro-
phetarum fideliter custodit; Ita non aliam
debeamus pro Ecclesia agnoscere, nisi in
qua doctrinam illam reperimus, non mo-
rantes Romanensium fumos,

Et citra controuersiam, ma-
gnum est mysterium pietatis.

Epiphonema grauissimum: in quo
commendat pietatis mysterium, & eius
præcipua capita (ad quæ omnia, quæ illis
natura coniuncta sunt, referri oportet) re-

G 3 citat.

EPIST. I. AD

ciat. In commendatione obserua incrementum, mysterium, magnum mysterium, pietatis mysterium, & omnium confessione mysterium, vnde nos colligamus cocam esse humanam rationem, cum in doctrina Ecclesiæ, donec verbo Dei & Spiritu sancto illuminetur, tum in cultu præstando, iuxta voluntatem Dei. Quid enim de peccato? quid de fide & iustificatione? quid de hostia Christi pro peccato? quid de vnione hypostatica duarum naturarum in vna persona? quid de resurrectione à mortuis? quid de futura gloria electorum? quid denique de toto salutis mysterio percipit humana ratio? Gratias igitur agamus Deo, qui hoc veritatis, pietatis & salutis mysterium ex mera sua bonitate reuelauit mundo. Porro capita præcipua huius mysterij sex ponuntur in textu, quæ breuiter explicanda sunt.

Primum.

Deus manifestatus est in carne.

Hoc est, Deus est verè homo factus, manens quidem quod erat, factus verò quod non erat. Hoc quia remotum est ab omni hominum perspicientia, rectè mysterium dicitur. Quare desinat ratio præter
ver-

T I M O T H.

verbum, hoc mysterium scrutari. Imò cogitet potius magnitudinem sui peccati, quod sine Deo homine facto aboleri non potuit, misericordiam Dei immensam, qua adeò dilexerit nos, quòd voluerit Filium suum hominem factum, pro nobis hostiam fieri, ac amorem Filij, quo voluit consors nostræ naturæ factus, fieri pro peccato nostro hostia: vnde concipiamus pœnitentiam & fiduciam, & gratias agamus Deo pro hoc inenarrabili salutis nostræ mysterio.

Secundum,

Iustificatus est in spiritu.

Hoc est, Spiritus sancti testimonio iustus agnitus est, & declaratus est esse verus Messias. Huc referto omnia testimonia cum doctrinam Christi confirmantia in genere, tum præcipuè ostendentia Christum verum Messiam esse.

Tertium.

Visus est Angelis.

Hoc est, Angeli sunt testes, spectatores & precones huius mysterij, Luc. 2. Matth. 4. Marci 1. Huc referto etiam testimonium

G 4 Patris

EPIST. I. AD

Patris de ipso Matth. 3. & 13. Nonnulla
Græca exemplaria sic habent ὡφθη ἀνθρώ-
ποις, id est, visus est hominibus. Huc re-
ferro dictum Iohannis 1. Inhabitavit in
nobis, & vidimus gloriam eius &c. Item
1. Iohan. 1. Quod erat ab initio, quod vi-
dimus oculis nostris &c.

Quartum.

Prædicatus est inter gentes.

Scilicet per Apostolos, & eorum suc-
cessores: quorum prædicatio eò pertinet,
vt Christo æternam colligant Ecclesiam,

Quintum.

Creditus est in mundo.

Hoc est, multi in mundo eius testes
fuerunt, multiq; in ipsum crediderunt, &
credunt. Hic nota, Si credere in Christum,
mysterium est, noli mirari, quòd sapientes
& potentes in mundo fidem persequan-
tur, quam æstimant ex humano iudicio.
Et tu contra gratias agito Deo, quòd tanti
mysterij consors sis factus.

Sextum.

Assumptus est in gloriam.

Hoc est, gloriose peracto triumpho
super morte & inferno, per suam glorio-
sam resurrectionem, & ascendit in cœlum,
&

T I M O T H.

& mittit inde dona, quibus suam Ecclesiam ædificat, conseruat & ornat.

Hæc capita mysterij pietatis notauit Paulus, & in breuem aphorismum coëgit, vt in eorum meditatione occupemur, nosq; confirmemus aduersus omnia cum scandala, tum machinamenta Satanæ, quibus obscurare & peruertere hoc nostræ salutis mysterium nititur, vtq; maneamus in hac Ecclesia, quæ est columna & fundamentum veritatis, vbi hoc mysterium per ministros Euangelij sonat.

Q V A R T V M
C A P V T.

S V M M A Q V A R T I
C A P I T I S.

NOuissimis temporibus defectio erit à fide, variæq; orientur sectæ. Quare pñ erit Episcopi, erudire populum in sana doctrina, & fugere prophanas fabulas. Incumbit enim Episcopo, vt & ipse se in pietate exerceat, & alios diligenter erudiat,

G 5 quò

EPIST. I. AD
quò ad maiorem amorem veræ doctrinæ,
etiã exemplo excitetur populus.

ORDO QVARTI
CAPITIS.

QVàm operæ precium sit, non quof-
uis eligere ad ministerium verbi,
ostendit à periculo imminente. Quare in
principio huius capituli textitur vaticini-
um de defectione à fide, & de seductori-
bus spiritibus, quos breuiter describit, &
errorum ponit quædam exempla, de pro-
hibitione coniugij, & ciborum. Vnde di-
labitur in locum vtilissimum de vero &
legitimo creaturarum vsu. Deinde ex di-
ctis extruit paræneses, & monet Timothe-
um, vt hæc proponat fratribus, sit ipse pi-
us, sit aliorum exemplum, faciatq; offi-
cium sedulus. Atq; ita tres sunt partes hu-
ius capituli. Prima, prædictio defectionis
& sectarum. Secunda, confutatio prohi-
bitionis ciborum. Tertia, parænesis ad
Timotheum.

EXEGESIS QVARTI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Spiritus autem clarè dicit.

Prima

T I M O T H.

Prima pars capituli est, continens vaticinium de defectione à fide &c. Vt autem hoc vaticinium fiat manifestius, illud in quatuor particulas retexam. Quarum prima est præfatio. Secunda, vaticinium ipsum. Tertia, nota seductorum. Quarta, exemplorum quorundam assignatio.

Spiritus autem clarè dicit.

Prima vaticinij particula, nempe præfatio, in qua ab autore spiritu Dei, certitudinem vaticinij commendat Timotheo. Neque hoc obscure sub inuolucris significat spiritus Dei, quod euenturum est, Sed ῥητῶς, hoc est manifestè, clarè, apertè & disertis verbis, vt nullus relinquatur dubitandi locus. Hæc præfatio nos quoque admonet, quomodo accipienda sint dicta Pauli. Non enim dubium est, quin quicquid dicat Paulus ex eodem Dei spiritu proficiatur. Quare doctrinam Pauli, tanquam vocem de cælo sonantem, amplectamur & veneremur.

Quòd in posterioribus temporibus deficiet quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum.

Secunda

EPIST. I. AD

Secunda pars, ipsum vaticinium continens, quatuor circumstantiis absoluitur. Quarum prima est, temporis notatio. Secunda, defectio à fide. Tertia, de doctoribus seductoribus. Quarta, de doctrina hæretica, quæ Dæmoniis adscribitur. Tempus admonet nos periculi. Neque enim est dubium, quò propior sit dies Domini, eò magis sæuire Satanam, & excitare hæreses, quò Ecclesiam ipsam labefactet. Nos igitur sedula precatione ad Deum ardentem confugiamus, vt ipse nos in sana doctrina custodiat, ne naufragio circa fidem facto, cum impijs ruamus in exitium. Secunda circumstantia est, à fide defectio, quam hodie passim per totum orbem videre licet. Nam multi prorsus Euangelium contemnunt, multi persequuntur, qui videntur amare Euangelium, magna ex parte ebrj huius mundi voluptatibus sceleratè viuunt. Ex quo fit, vt mores huius seculi respondeant moribus illorum, quos cataclysmus absorpsit. Atq; adeo hoc vaticinium congruit cum prædictione Christi, Matth. 24. Quemadmodum erant dies Noe: Sic erit etiam aduentus filij hominis, Quod sanè non solum ad subitum aduentum Domini referendum est, verum eti-

am

T I M O T H.

am ad præmonitionem factam per verbum Dei ad Noe, ex mandato Dei, ad mores hominum corruptissimos, qui à fide defecerunt, contempto verbi præcone Noe, ad impiorum subitam euerfionem, & ad paucorum, qui pñ inuenti fuerint, liberationem. Hinc primùm admoneamur, vt cautè & follicitè ambulemus coram Domino in vero timore. Deinde, vt rogemus Deum, quò ipse dirigat nostra corda (conferuando nos in vera fide) in expectationem Filij sui Domini nostri Iesu Christi. Tertia circumstantia est, de seductoribus spiritibus, qui defectionis organa sunt. Vt autem hæreticorum fraudes ostendat, metonymia vsus est, causam pro effectu ponens. Nam spiritus impostores eos vocat, qui spiritu Satanæ agitati, autores sunt hæresium, quibus à fide abstrahuntur illi, qui eis attendunt & fidem adhibent. Quis putaret tantum periculi hominibus ab hominibus impendere? Quare significat hac metonymia non tam homines huius defectionis causam esse quàm Satanæ spiritum, quo agitati homines, omnia in Ecclesia turbare conantur. Quarta circumstantia est effectus tertiæ, nempe doctrina ipsa Dæmoniorum, Hanc vocat non à Ceryntho,

EPIST. I. AD

rintho, non ab Ario, non ab Ebione &c. sed à primo autore, nempe Satana, quo sanè nomine, quantum periculi sit Ecclesiæ à doctrina hæretica, ostendit. Vult enim nos cogitare, quantam ruinam secum traxerit, quòd primi homines doctori Satanæ obtemperauerint. Quemadmodum enim tunc mundum recens conditum, adeoq̃ ipsam Ecclesiam sua pestifera doctrina euertit: Ita in his extremis temporibus potissimum Ecclesiam hæretica doctrina subuertere conatur, quòd eam in exitium secum trahat. Hinc nos discamus, quæ sit vera & quæ sit falsa Ecclesia. Si enim vera, est columna & sedes veritatis, Falsa utiq̃ erit, quæ doctrinis Dæmoniorum auscultat. Præterea discamus eam doctrinam habere suspectam, quæ non clarè & disertè in scriptis Prophetis & Apostolicis fundatur. Admoneamur semper habere in conspectu analogiam fidei, ad quam omnem interpretationem probeamus, iuxta consilium Pauli, Militemus honestam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam. Non frangamur animis infinitis scandalis, quæ paritura est sectarum diuersitas. Porro causa, cur Deus permittat varias oriri hæreses, expressa est, poste-

T I M O T H.

posterioris ad Thessalon. 2. his verbis: Propterea quod noluerunt credere veritati, dedit illis efficaciam illusionem, vt crederent mendacio.

In hypocrisi falsiloquorum cauteriatam habentium conscientiam.

Hæc nota est seductorum, eaq; duplex, ex quarum priori hominibus, ex posteriori sibi ipsis noti esse possunt falsi doctores. Prior nota est loqui falsa in hypocrisi, hoc est, hæreticam doctrinam, quam propagare student hypocrisi, & falso religionis prætextu confirmare, dum mentita religionis specie incautos in suam nasam pertrahunt. Hic non dubium est notari Monachos & alios, ne religionis simulatione sinamus nos à fonte aquæ viuæ, ad cisternas putridas hypocritarum, abduci. Posterior nota ipsis seductoribus notior est, habere cauterio notatam conscientiam, hoc est, malam, & vix sanabilem, seu vt Ambrosius exponit, simulatione corruptam, Quia sicut (vt idem Ambrosius inquit) cauterium corium corrumpit & notam infligit; ita fallacia conscientiam

EPIST. I. AD

scientiam, quæ dolo malevolentiae aliud
scit aliud profitetur, denotat ad perditio-
nem. Obseruandum hoc loco, quòd qui
vel impuritati vitæ diutius indulgent, vel
scientes falsæ doctrinæ patrocinantur, con-
scientiam vastant, & quasi cauterio quo-
dam inurunt, vt difficulter in viam reuo-
cari possint.

**Prohibentium contrahere
matrimonium, & iubentium
abstinere à cibis.**

Exempla hæc sunt doctrinæ Dæmo-
niorum. Ponit autem has duas species, vt
ex ipsis genus vniuersum æstimemus. In
his speciebus duo obseruentur. Primo,
quòd pugnent cum ordinatione Dei. De-
inde, quòd sint res externæ, quibus opini-
onem cultus affingunt. Inde genus esse re-
linquitur traditionem humanam, & rem
externam cultus gratia hypocriticè insti-
tutam. Quare nominatis hisce duabus spe-
ciebus, totum genus improbat Paulus,
nempe in externis rebus cultum Dei col-
locare, & doctrinam aliquam obtrudere,
de quo nihil in verbo Dei expressum est.

Quos

T I M O T H.

Quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & qui cognouerunt ueritatem.

Hæc secunda pars capituli est, nempe confutatio. Vt enim in priori parte prædixit orituras esse hæreses, & earum duo exempla, ut genus ostenderet, attexuit: Ita nunc posterioris exempli de prohibitione ciborum, confutationem instituit, & sumit argumenta à causis efficientibus & finalibus. Primum enim cibos bonos esse sua natura à causa seu creatore, ostendit. Deinde, finem creationis addit, qui est, ut omnia cum gratiarum actione benigni patris donis utantur. Vnde colligamus, Primum, quòd res conditæ potissimum præsumunt creaturis ullis sine gratiarum actione uti, sint sacrilegi & fures, ut qui in rem sacram & alienam manus uolenter iniiciant. Igitur grati Deo sumus, ac in usu rerum Deo, à quo omnia habemus, agamus gratias.

Quod omnis creatura bona
 H sit,

EPIST. I. AD
sit, & nihil reiſciendum cum gra-
tiarum actione acceptum.

Ratio ſecunda ab uſu rerum condita-
rum ſumta. Si enim omnis creatura bona,
profectò nulla ut inutilis & impura reiſ-
cienda, ſed potius cum gratiarum actione
accipienda eſt. Sed quomodo hoc cum
prohibitione illa in Leuitico cap. 11. con-
gruit? Illa prohibitio non naturas rerum
aut bonitatem extenuat, ſed diſciplinae
cauſa propter ſignificationem addita fuit,
Nam erat illa prohibitio ſymbolica quæ-
dam morum doctrina. Exempli cauſa,
Prohibetur eſus porcorum, ut ſit ſymbo-
lum, populum Dei non debere ſe polluere
in peccatorum cœno & volutabro. Item
aquilæ & vulturis eſus prohibebatur, ut
ſignificaret, non altè ſapiendum, neq; ex
præda viuendum eſſe. At poſtquam poli-
tia Moſis ceſſauit, nihil in quenquam iu-
ris habet illa ceremonialis prohibitio,
Tameſi res ſignificata retinenda eſt. At
quædam ſunt feræ venenatæ, quarum
eius exitium adferret, ſed de illis hîc non
diſputat Paulus, ſed tantùm de cibis vili-
bus & ſalubribus, quos ſuperſtitionis gra-
tia prohibitori eſſent hæretici. Præterea
hoc

T I M O T H.

hoc sciendum est, omnes creaturas in pe-
culiarem quendam finem creatas esse, cu-
ius finis respectu singulæ aliquam purita-
tam ac vtilitatem habent, iuxta illud: Vi-
ditq; Deus omnia quæ fecerat, & erant
valde bona.

Sanctificatur enim per uer-
bum Dei, & precationem.

Ratio tertia est, quòd sanctum est, non
est reiiciendum. Omnis creatura Dei san-
ctificata fit inuocantibus Deum. Proinde nul-
la creatura Dei reiicienda, vt prophana.
Obserua hîc modum consecrandi res qui-
bus utimur. Non enim id fieri debet exor-
cismis sacrificulorum, quasi incantationi-
bus quibusdam, sed per verbum Dei, cum
videlicet Deum iuxta verbum ex fide in-
uocamus, petentes ab eo necessaria, cum
in gloriam ipsius tum in nostrum vsum.
At vbi sine inuocatione in contumeliam
Dei, & in luxum abuteris creaturis Dei,
tuo impio abusu, facis rem bonam tibi
prophanam. Nam tuo contactu polluis
rem bonam per se, & sanctam, atq; ita gra-
ue sacrilegium committis. Sanctificari au-
tem per verbum, est vsum rei fieri licitum,

H 2 ita

EPIST. I. AD

ita vt iam cultui Dei destinata res esse videatur. Hic enim finis creaturarum est, vt cum p̄s seruiant, in laudem creatoris cedant.

Hæc proponens fratribus, bonus eris Iesu Christi minister, enutrens eos sermonibus fidei & bonæ doctrinæ, quam sequutus es.

Quò spectent ea, quæ hætenus disse-ruit, aperit, nimirum, vt ea fratribus proponat Timotheus, cui rei rationem addit ab officio boni Iesu Christi ministri, h. est, Episcopi, quod est enutrire fratres sermonibus fidei, quos bonam, id est, vtilem & salutarem doctrinam definit. Et vt stimulos spontè currenti addat, amplificat ab antea actis, inquit, Quam sequutus es, ac si diceret, Tu hætenus sequutus es doctrinam, id nunc maxime facere oportet, cum minister Christi ad ipsius regnum propagandum per sanam doctrinam sis electus, Potest etiam participium *ἐντρέφόμενος* passiuè reddi, hoc pacto, enutritus sermonibus fidei &c. vt ad Timotheum referatur, atq; ita significat ministri Euangelij esse, in

T I M O T H.

se, in doctrina fidei perpetuò occupari, vt
eam veluti versans sæpe ac quasi rumi-
nans, salutem sibi & alijs inde hauriat. At-
que hæc expositio est Chrysostomi, prior
tamen interpretatio contextui magis qua-
drare videtur. Ex hoc loco primum colligamus
munus fidelis Euangelij ministri
esse, enutrire Ecclesiam, non traditionibus
humanis, non ficta religione, sed sermoni-
bus fidei & bonæ doctrinæ. Et contrà in-
fidelem & malum esse Christi ministrum,
qui abiecta doctrina Christi, humana som-
nia inculcat auditoribus, quemadmo-
dum in Papatu fit, præterea epitheton, bo-
næ, significat minimè esse bonam doctri-
nam, quæ verbo Dei & fide non nititur.

**Prophanas autem & aniles
fabulas deuota.**

Quemadmodum, quid docendum
sit, Episcopo præscripsit: ita quam doctri-
nam vitare debeat, admonet. Vocat au-
tem prophanas & aniles fabulas, quæ nec
in verbo Dei fundantur, nec quid vilitatis
habeant ad ædificationem, sed tantum
imperitum auditorem *εὐνομίᾳ* verbo-
rum deliniant. Obseruemus hîc iudicium
Spiritus sancti, de doctrina hominum, quæ

H 3 sanè



EPIST. I. AD

sanè in Ecclesia Christi nihil nisi vanitatem profiteri potest, imo turbat aquam fontis viventis, vnde haurire vult Deus omnes, qui salutem sitiunt.

Cæterum, exerce teipsum ad pietatem.

Tertia pars huius capituli est, continens parænesin, qua Timotheum hortatur ad pietatem, ac alia cum pietate coniuncta officia, vt quæ vocationem eius attingant. Ac primum hortatur, vt exerceat se ad pietatem, & vsus est verbo à palæstrâ sumpto, quo significat, non ocio indulgendum, sed totis viribus connitendum, vt in ipsa pietate crescat ac proficiat. Est autem pietas, spiritualis Dei cultus, quo Deo nos totos iuxta eius verbum approbare studemus. Huius partes duas facit Chrysostomus, nempe fidem puram, & rectam vitam, qua & Deo & proximo & nobis ipsis reddimus quæ debemus, proinde recta vita consistit in iusticia bonæ conscientie.

Corporalis enim exercitatio ad purum utilis, at pietas ad omnia

T I M O T H.

omnia utilis est, promissiones habens uitæ præsentis & futuræ.

Proximæ paræneseos ratio à comparatis sumta. Confert enim hîc pietatem & corporalem exercitationem, (quæ in austerâ viuendi ratione fita est) idq; in vtriusq; effectibus. Corporalis exercitatio spontè accersita, modo absit superstitio, ad parum utilis est, sed pietas, id est, verus Dei cultus ad omnia est utilis. Nam vt promissiones temporalium & æternorum bonorum additæ sunt obedientiæ Deo ex fide præstitæ: Ita corporalis exercitatio, si quid commodi adfert, id fit propter internam animi pietatem, neque enim inedia spontanea, neq; longæ vigiliæ, neq; cubationes asperiores per se quicquam valent, Sed interdum nonnihil sine superstitione adhibite prodesse videntur, idq; parum admodum, si conferantur cum vero Dei cultu. Finis etenim exercitiorum corporalium ad corpus pertinet domandum & refrenandum, sed pietas per se animum nutrit, & plurima bona corporalia & spiritualia, temporalia & æterna adfert. Hîc obseruemus testimonium de remuneratione pietatis, id est, obedientiæ cultusq; Dei

H 4 spiria

EPIST. I. AD

spiritualis ex fide facti. Hanc remunerationem, quia Deus eam promittit, fide amplecti debemus & certò expectare. Præterea notetur discrimen inter verum Dei cultum, & corporalia exercitia.

Fidelis sermo, & omni approbatione dignus.

Asseueratio epiphonematica est doctorum, eò pertinens, vt hac asseueratione magis ad obseruandum discrimen pietatis & corporalis exercitiij exercitetur Timotheus.

In hoc enim & laboramus & probris afficimur, quia speramus in Deo uiuente, qui est saluator omnium hominum, maximè fidelium.

Hortari cœpit Timotheum ad pietatem, nunc id confirmat suo adeoq; totius Ecclesiæ testimonio. Hic tria simul obserua. Primum, Ecclesiæ externam speciem, quæ est, sub cruce laborare & probris affici. Secundò, causam, quia sperat Ecclesia in Deo uiuente. Vult enim Deus Ecclesi-

am

T I M O T H.

am cruci subijci, vt aliquo modo agnoscat peccatum, crescat pœnitentia & inuocatio. Tertio, euentum lætum præsentium calamitatum, à quibus viuens Deus suos liberabit. Sed quid vult hæc distributio, qua dicit, Deum saluatorem omnium, & maximè fidelium. Est igitur saluator infidelium? Cum dicit, omnium hominum, ad propositum volūtatē respexit, vult enim omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. At cum addit, maximè fidelium, illos pronunciauit ac distinxit, qui fide oblatam gratiam recipiunt, alios sua culpa perire significans. Nos igitur, si oblatæ gratiæ participes esse volumus, eam verbo & sacramentis oblatam fide amplectamur. Sunt qui generalius verbum, saluandi, accipiunt, pro tueri & conseruare, & argumentum texunt à minore hoc modo, Deus est totius naturæ adeoq̃ omnium hominum saluator, multo magis pios saluabit, quorum præcipuam curam habet. Sed prior explicatio magis contextui quadrare videtur.

Præcipe hæc & doce.

Repetitio admonitionis, qua monen-

H 5 tur

EPIST. I. AD
tur Episcopi diligentiae & sedulitatis in
officio.

**Nemo iuuentutem tuam con-
temnat.**

Hoc cum ad auditores, tum ad Timo-
theum ipsum referri potest. Ad auditores
quidem, vt reuereantur Episcopum su-
um, non eum propter iuuentutem asper-
nantes. Ad Timotheum verò, vt iuueni-
lem ætatem senili grauitate ornet, quò alijs
speculum grauitatis & honestorum mo-
rum esse possit. Discant hinc auditores ma-
gnifacere Euangelij ministros, discant &
ministri morum dexteritate & grauitate
sibi animos hominum conciliare.

**Sed esto typus fidelium in
sermone, in conuersatione, in
caritate, in spiritu, in fide, in ca-
stitate.**

Modum & rationem, qua minimè
contemptui exponatur iuuentus Timothei,
exponit, nimirum vt se typum omnium
virtutum statuatur. Est enim hoc doctoris
munus, vt non tantum verbis, verum eti-
am moribus doceat. Porro enumeratio-
nem

T I M O T H.

nem specierum pro genere ponit. Vult enim vt Pastor in omnibus rebus honestatis speculum sit sui gregis. Spiritus vocabulo lenitatem in corrigendis moribus intelligit. Cætera vocabula notæ significationis sunt.

Donec uenio, attende lecti-
oni, exhortationi, doctrinæ.

Tria hîc commendat Timotheo, atq; adeo omnibus Euangelij ministris, nempe lectionem, exhortationem, doctrinam, de quibus pauca quædam præcepta colligam.

D E L E C T I O N E.

Quia lectio scripturæ eò pertinet, vt inde aquam de fontibus saluatoris hauriamus, ante omnia pium pectus ad lectionem scripturæ adferri oportet. Deinde liberalem in artibus & linguis (quantum id conceditur) doctrinam. Hisce rebus instructus, Theologiæ studiosus in lectione scripturæ obseruet tria, Historiam, doctrinam, modum discendi quæ legit. In Historia sex sunt obseruanda. Primum, series temporum, cuius obseruatio ad intelligendum scripturam plurimum conducit.

Secun-

EPIST. I. AD

Secundum, propagatio doctrinæ. Tertium, miraculorum varietas, quibus veritas doctrinæ stabilitur. Quartum, Crux & externæ Ecclesiæ forma. Quintum, Liberatio Ecclesiæ à varijs periculis. Sextum, Exempla pœnarum, lapsuum, pœnitentię, fidei, patientię, confessionis & aliarum virtutum. Hęc obseruata, accommodabit diligens lector ad præsentis Ecclesiæ statum, vt inde doctrinæ, admonitiones, consolationes petantur, cum ad fidem piorum confirmandam, tum ad metum & terrorem impijs incutiendum.

DE EXHORTATIONE.

Exhortatione accommodatur doctrina ad vsum auditorum. Sunt enim alij se-gnes, alij pusillanimes, alij contumaces, alij infirmi. Quare subinde opus est stimulis, exhortationibus, obiurgationibus & consolationibus, quibus doctrina auditoribus accommodabitur. Exempla multa extant in Mose, in Prophetis, in concionibus Christi, & in scriptis Apostolicis. Verum in hac re opus est prudentia, ne aliena ingeras, neue intempestiue, non habita doctrinæ & auditorum ratione, excurras in
ani

TIMOTH.

anilem loquacitatem, vnde fit, vt reprehensionis studio magis quàm emendationis desiderio laborare videaris.

DE DOCTRINA.

In doctrina quatuor potissimum obseruentur. Primum, doctrinæ præcipua capita, seu loci. Secundum, docentium varietas & conuenientia. Tertium, interpretandi ratio. Quartum, doctrinæ ad vsum accommodatio. Locos doctrinæ seu capita præcipua ad quatuor ordines refero. Vt primus de spiritali Christi regno sit. Secundus, de generali viuendi regula. Tertius, de Ecclesia & eius gubernatione. Quartus, de rebus politicis & æconomicis. Philippus tres ordines facit. Vt primi ordinis loci sint *πνευματικοί*. Secundi, *παραδόσεις*, id est, traditionis. Tertij politici & æconomici. His tribus ordinibus subiecit XXIII. locos, videlicet, de Deo, de peccato &c. Possunt & duo capita statui, vt primum sit de Lege, Alterum de Euangelio, sed ita, vt illorum appendices, sub illis intelligantur. Tametsi ante vniuersa scriptura ad Deum tanquam vnicum fontem referenda est, vtile tamen est docto-



EPIST. I. AD

doctorum discrimina obseruare, idq; propter docendi modum. Locum primum Moses occupat. Secundum Prophetę. Tertium Christus & Apostoli. Quartum sancti Patres sequuti Apostolos, occupant. In quibus omnibus idem Christus per suum Spiritum est locutus. Hi omnes, quia eodem Dei spiritu locuti sunt, conueniunt, eandem enim doctrinam omnes, nempe Legis, Euangelij & veri cultus Dei profitentur, qui tamen in modo docendi non nihil variant. Moses omnium, ob breuitatem, obscurissimus est. Prophetę huius sunt clariores interpretes, nam hi integris concionibus explicauerunt, quę veluti breuib; aphorismis signauerat Moses. Christus & Apostoli, qui prophetiarum complementum viderunt, omnia adhuc apertius tradiderunt, quibus sancti adeoq; omnes interpretes lucem interpretando adferre conati sunt. Tertio loco de interpretationis ratione proposui, de qua quia in Methodo mea dictum est, & quotidie idem manifestatur exemplis docentium, nolo de ea plura hęc dicere, nec de accommodandi ratione ad vsu; aliquid dicam, nisi hoc tantum, quod vniuersalia dicta

accom-

L AD

TIMOTH.

accommodanda sint ad hypotheses, & individua & particularia dicta ad vniuersalia reuocanda sint. Restat modus discendi, qui tamen ex ijs, quæ dicta sunt, dependere videtur, quinque tamen communia præcepta obseruatione digna, hoc loco existimo, quorum Primum est, vt obseruentur doctrinæ præcipua capita seu loci communes incomplexi. Secundum, vt eorum definitiones teneantur, ex verbo Dei extractæ. Qui enim rei alicuius definitionem rectè nouit, is ad omnem disputationem & orationem de ea re fundamentum iecit. Tertium, diuisiones rerum multiplicium signentur. Sine enim diuisionibus rectè formatis, nihil plenè intelligi à nobis, nec alijs rectè tradi potest. Quartum, eligantur inter legendum axiomata, hoc est, generales sententiæ, ex quibus plurimæ conclusiones extrui possunt, idque de singulis capitibus præcipuis. Horum enim axiomatum, suppellex parata, in omni doctrinarum genere & disputandi & dicendi copiosam syluam suppeditat. Quintum & postremum, vt eorum, quæ discere instituisti, ordo di-

obseruare, id est
 n. Locum p
 indum Prophe
 postoli. Quar
 apostolos, occu
 dem Christus per
 is. Hi omnes, qu
 ocuti sunt, con
 etrinam omnes,
 & veri cultus De
 in modo docer
 ses omnium, ob
 is est. Prophe
 rpretes, nam h
 cuerunt, quæ ve
 gnauerat. Mo
 ui prophetarum
 mt, omnia ad
 quibus sancti
 uicem interpre
 Tertio loco
 proposui, de qu
 lectum est, & qu
 exemplis docer
 dicere, nec de
 vsum alicuius
 od vniuersalia



EPIST. I. AD

do diligens seruetur. Vt enim confusio ordinis, memoriam turbat: Ita nulla re magis iuuatur discantis studium, quàm diligenti ordinis obseruatione.

Ne negligas quod est in te donum, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri.

Repetitio est superioris per abnegationem contrarij, Est autem negligere donum, segniter facere officium, cuius officij causa donum collatum est. Hinc discat quisq; rectè sibi tradito talento vti in ædificationem Ecclesiæ, ne ingratus Deo, qui talentum contulit, esse uideatur. Discat etiam qui donis ornatus est, nihil arroganter sibi tribuere, quasi à se haberet, quæ habet, & non aliunde. Hinc Paulus: Quid habes quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis? Meo, inquires, studio & diligentia hoc sum consecutus. At nisi Dominus ædificat, frustra laborem sumit ædificator. Cum donum dicit datum per prophetiam, significat testimonium spiritus de Timotheo præcessisse, quo testatus est spiritus, Timotheum idoneum Ecclesiæ

siæ

T I M O T H.

ſiæ miniſtrum fore. Huc addit ritum ordinationis per impoſitionem manuum preſbyterij, hoc eſt, ſenatus Eccleſiæ ſiue aliorum miniſtrorum Euangelij, qui impoſitione manuum illum deſignarunt Epiſcopum. Nec hic ritus eſt inane ſpectaculum, ſed, cum precatio accedit, impetratur Spiritus ſanctus ordinando, niſi ipſe ſit impius Hypocrita. Obſerua igitur præter mores, quos ſuprà præſcripſit, duo in Epiſcopo requiri, donum & ordinationem, quam legitima vocatio præcedere debet.

Hæc cura, in his eſto, ut tuus profectus in omnibus manifeſtus fiat .

Idem vrget, nimirum, vt Timotheus diligenter faciat officium, & ſimul addit argumentum à fructu diligentia, vt tuus, inquit, profectus manifeſtus fiat in omnibus, hoc eſt, in fide, vita & docendi dexteritate. Hoc ſuprà de Diaconis loquens, alijs uerbis expreſſit, Qui bene miniſtrauerit, gradum ſibi acquirit, & multam libertatem &c. Nam diligentia in uocatione ornatur cumulatiori benedictiõẽ. Hinc ergo ad diligentia ſinguli excitemur.

I Attende

EPIST. I. AD

**Attende tibi ipsi & doctrinae,
permane in his.**

Idem repetit per Isodynamiam, sed in duo quasi capita distinguit omnia, quorum primum est, ut sibi attendat, hoc est, ut se syncerum & purum custodiat. Secundum, ut inuigilet officio. Hac crebra admonitione videtur, quasi procul prospexisse incuriam Episcoporum, qui ad Ecclesiae gubernationem aliquando adhiberentur.

**Hoc enim faciens, & te ipsum
seruabis, & eos, qui te audiunt.**

Argumentum à duplici fructu diligenter praestiti officij, nimirum personae propriae, & auditorum. Sed quomodo se seruat Timotheus isto suo facto? & quomodo alios saluare potest? An non soli Deo salus ferenda? Suprà de mulieribus dictum est, quod saluentur per liberorum generationem, non quidem ut per meritum, sed ut per debitum officium, quod qui negligit, fidem abijcit: Ita quoque hoc loco Timotheus se saluare dicitur, dum in salute parta manet, diligenter praestando officium. Alios autem minister Euangelij seruat,

TIMOTH.

seruat, vt organum salutis. Nam per ministerium verbi, homines ad salutem inuitantur. Duos proinde locos hic obseruemus. Priorem, de fructu fideliter præstiti officij in ministerio. Posteriolem, de scelere non præstantium officium. Qui enim non facit officium, reus est sanguinis eorum, quibus erudiendis in pietate præficitur. Vnde Ezechielis 3. capite, Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annunciaris eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, & non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt conuertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.

QVINTVM CAPVT.

SVMMA QVINTI CAPITIS.

Quemque pro conditione sui status & ordinis admoneat episcopus: Com-
I 2 men-

EPIST. I. AD

mendet singulis ac præcipuè viduis debita officia: Sit prætereà Episcopus circumspèctus in corripiendis vitijs, quæ nota sunt. Nam vt quorundam peccata manifesta sunt, ac in iudicium damnationis tendunt: Ita quorundam benefacta similiter sunt manifesta, & quæ secus se habent, occultari non possunt.

ORDO QVINTI
CAPITIS.

Quemadmodum fieri solet in exhortationibus, ita in hoc capite varias ingerit paræneses, sed vt aliquis ordo à discipulis teneatur, in quinque partes hoc caput distribuatur. Prima, est admonitio de leni peccantium correptione pro status & personarum conditione. Secunda, canon de viduarum ætate, moribus & ministerio. Tertia, assertio de Presbyterorum honore & victu. Quarta, congeries quædam paræneson, de cauta manuum impositione, de castitate, de modico vini vsu &c. Quinta, notatio discriminis cum peccatorum, tum bonorum operum, quorum illa ad damnationem tendere, vt quæ occultari non possint, asserit. Hæc autem nunc manifesta esse, proinde nullum

TIMOTH.

sum opus latere potest, siue sit bonum siue malum.

EXEGESIS QVINTI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Seniorem ne obiurges sæuius, sed hortare ut patrem, iuniores, ut fratres, mulieres natu maiores, ut sorores, cum omni castitate.

Prima huius capituli pars, de modo reuocandi errantes in viam. Vult enim ut tria perpendat Timotheus. Primum, vitium castigatione emendandum. Secundum, conditionem eorum, quos emendabit. Tertium, suam quoque personam. Vitia in nullo ferenda sunt, Sed modus castigandi petetur ex nostra, & illorum quos castigabimus, collatione. In nostra persona non tantum officium, verum etiam ætatem, autoritatem & alias conditiones spectare oportet, quò causam non reddamus deteriores, nostræ conditionis oblitæ. Vult ergo, ut Timotheus, qui iuuenis erat adhuc, induat filialem affectum erga maiores

I 3 dios

EPIST. I. AD

diores natu, vt æquales ætate, tanquam fratres & sorores complectatur, cum omni castitate, hoc est, vt nemini præbeatur occasio obloquendi, propter intemperantiam, & nimiam sæueritatem, siue tyrannidem in officij executione. Castitatis enim vocabulum ad morum castam grauitatem referendum est, & non pertinet tantum ad extremam huius exhortationis clausulam, sed eam totam, & omnes eius partes quasi determinat, Sit ergo hic locus omnibus Euangelij ministris castigationis legitimæ regula generalis. Præterea mouentur Episcopi ex hoc loco, reprehendere vitia, non tantum sui officij esse, publicè & in genere, verum etiam priuatim, prout commodum visum fuerit singulos corrigere.

Viduas honora, quæ uerè uiduæ sunt.

Secunda capituli pars est de uidijs, has vt honoret Timotheus, præcipit. Honoris vocabulum reuerentiam & curam complectitur. Solebant enim tum temporis honestæ uiduæ eligi ac ali ex publico. Sed quas uocat uerè uiduas? Non tam eas intelligit uerè uiduas, quæ post solenne nuptia-

T I M O T H.

ptiarum foedus, morte interueniente, à vi-
ris suis relictæ sunt, quàm quæ omnino
destitutæ sunt omni auxilio, vt quæ nec
liberos aut nepotes habeant, qui se iam ef-
fetas alere possunt. Nam vidua græcis di-
citur ἀνήτη χηρῶν, id est, destitui, ac omni
auxilio priuari, ad hanc etymologiam hîc
Paulum respexisse uidetur,

Porro, si qua uidua liberos
aut nepotes habuerit, discant
primum propriam domum piè
tractare, & uicem mutuam red-
dere progenitoribus.

Consilium proponit de viduis ha-
bentibus liberos aut nepotes, nimirum,
vt viduæ piè instituunt suos liberos, quò
& ipsi rem familiarem piè administrare &
benemeritis progenitoribus vicem, cum
id opus postulat, reddere possint, quod
vbi fit, minus grauatur Ecclesia in alendis
viduis. Nam pueri & nepotes piè instituti
curam earum in se recipiunt, nec sinunt
eas egere. Contrà vbi negligenter institu-
untur liberi, progenitoribus duplicant
molestiam, vt qui nec sibi, nec alijs vtilis
esse possint.

I 4 Hoc

EPIST. I. AD

Hoc enim honestum & acceptum coram Deo est.

Hæc ratio ab honesto sumta, gratitudinem Deo acceptam docet. Vnde ex contrario, Deum ingritudinem odisse colligitur. Proinde non mirum est plurimos propter ingritudinem diuinitus puniri.

Quæ autem uerè uidua est, ac desolata, sperat in Deo, & perseverat in orationibus & obsecrationibus nocte & die.

Epexergasia est, seu interpretatio. Nam quæ verè vidua sit explicat, ac quatuor ei addit conditiones. Prima, quòd sit relicta, mortuo marito. Secunda, quòd sit sola sine liberorum ac nepotum cura. Tertia, quòd sit pia, vt quæ humano auxilio destituta, spem in Deum collocet. Quarta, quòd sit perseverans in obsecrationibus nocte & die. Quamuis autem multæ sunt viduæ, tamen eas solas vult sumtibus Ecclesiæ ali, in quibus hæc quatuor inveniuntur.

Quæ

T I M O T H.

Quæ autem in delitijs uersatur, uiuens mortua est.

Antithesis est veræ viduæ, vt enim vera vidua sperat in Deo, renunciatis carnalibus desiderijs : Ita in delitijs submersa anima, mortua est, vtut corpore in delitijs viuat. Agnoscamus igitur quid incommodi adferant oblectamenta carnalia, tūc enim planè vera mors est, quando homo, anima præmoriente, deteriore parte hominis fit superstes. Cum autem hoc mali à delitijs carnis nascatur, non immerito à Platone dictum est, voluptatem escam malorum esse.

Et hæc præcipe, ut irreprehensibiles sint.

Vult veras viduarum conditiones ipsis viduis proponi, vt sciant ipsæ, in quibus rebus ipsarum potissima cura sita esse debeat.

Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam nõ habet, fidem abnegauit, & est infideli deterior.

I 5 Ab

EPIST. I. AD

Ab vniuersali principio ducit argumentū cuius hæc vis est. Quicumq; curam non habet suorum, suęq; familiæ propriæ, fidem abnegauit, & est infideli deterior, viduæ igitur ne in hoc malū incurrant, instituant benè proprios liberos & nepotes. Sed quomodo infideli deterior talis existit? Ideo deterior est, quia legem Dei & naturæ violat, & negligit, quod prophanus homo sollicitè facit, qui certè si alios non curat, suorum tamen curam non abijcit. Locus imprimis obseruandus, de vera fidei nota externa, nimirum, quòd fides in ociosis ac negligentibus suum officium, esse non possit. Non igitur fides negligentes, sed in omni officiorum genere alacriores nos reddere debet. Nam cum officium negligitur, polluitur conscientia, & cum polluta conscientia fides vera consistere nequit.

Vidua deligatur.

Suprà in genere conditiones viduarum ad quatuor reuocauit capita. Nunc quasdam alias circumstantias addit, & peculiare conditiones earum, quas publicis sumptibus in ministerio Ecclesiæ ali vult, recenset.

Non

T I M O T H.

Non minor annis sexaginta.

Hoc tempus ideo præscribit Paulus, quia quæ ea sunt ætate, iam effetæ existunt, & ineptæ ad matrimonium, neq; enim solent, quæ superiori ætate honestè vixerunt, incidere in incontinentiæ malum, quod iunioribus facilè contingit.

**Quæ fuerit unius mariti
uxor.**

Sicut superior circumstantia non ad dignitatem personæ, sed ad indicium futuræ continentiæ pertinet: Ita & hæc eodem referenda est. Nam quæ vno marito per priorem ætatem contenta fuit, magnum præbet futuræ continentiæ argumentum, ne sexagenaria iam novas quærat nuptias, quas eis concedit, quæ matrimonio opus habent. Non enim vult Paulus necessitatem cœlibatus vlli imponere.

In operibus bonis testimonium habens.

Hoc generale signum est deligendæ viduæ, operum bonorum testimonio comprobari, sed quæ sint illa opera, distributione sequenti explicat.

Si

EPIST. I. AD

Si liberos educavit, si fuit
hospitalis, si sanctorum pedes
lauit, si afflictis subuenit, si in omni opere bono fuit assidua,

Hoc præcipuum opus est honestarum viduarum, & nota quòd Spiritus sancti testimonio bonum prædicetur opus, liberos educare. Quare & coniugium & thorus conjugalis nequaquam in vitijs numeranda sunt, Sed quid, si aliqua sit sterilis? An illa vt indigna est reñcienda? nequaquam, sed hoc veluti proprium opus matronarum proposuit, vt exemplum bonorum operum. Quare cum conditione intelligendum est, si liberorum mater sit aliqua, vt tum declaret suam pietatem in educandis liberis. Quæ sequuntur conditiones, seu species bonorum operum notæ sunt. Lotione pedum per Synecdochen intelligit officia, sanctis, id est, pñs aduenis præstita, & quia non omnia enumerat, in fine genus ponit, Si in omni opere bono fuit assidua,

At iuniores uiduas deuita.

Iam addit admonitiones de iunioribus

T I M O T H.

bus viduis, ac primum eas deuitandas monet, quo dicto, nequaquam damnat viduas iuniores, sed tantum vult Timotheum cauere, ne eas alendas Ecclesiæ sumtibus recipiat, néue eis curam aliquam in Ecclesia committat, vtut se castas fore & cœlibes in posterum receperint. Nam periculum esse magnum à lubrica ætate insinuât.

Cùm enim lasciuire cœperunt aduersus Christum, nubere uolunt.

Ratio est proximæ propositionis, quã in hanc formam licet concludere. Viduæ lasciuia periculo obnoxie, volentesq; nubere, non sunt sumtibus Ecclesiæ alendæ: hoc autem de iunioribus viduis est timendum. Igitur viduæ iuniores non sunt recipiendæ, vt Ecclesiæ sumtibus alantur. Porro lasciuire aduersus Christum dicitur, quicumque solutiorem vitam agit, quàm decet eum, qui Christo nomen dedit. Estq; metaphora sumta ab equis exuentibus frena seu habenas, vt possint intemperantius ferocire & lasciuire.

Haben



EPIST. I. AD

Habentes condemnationem,
quòd primam fidem reiecerint.

Amplificat periculum. Viduæ vo-
uentes perpetuam continentiam, vt com-
modius seruiant Ecclesiæ, cum in lasciu-
am soluuntur, habent damnationem,
Hoc est, æternæ pœnæ reæ sunt, pro-
pterea quod primam fidem Christo in
Baptismo datam reiecerunt, vbi enim
lasciua regnat, ibi fides exulat, vbi fides
exulat, ibi certa adest damnatio. Hoc lo-
co perperam abutuntur Papistæ ad sua te-
meraria vota stabilienda, nam Papistarum
vota nihil habent commune cum votis
viduarum veteris Ecclesiæ. His enim erat
politicus finis, illis verò superstitiosus
propositus. Prætereà in votis Papisticis
duplex est impietas. Prior, quòd votum
cœlibatus sit illis cultus meritorius coram
Deo. Posterior, quòd vouendi temeritate
multas animas in exitium præcipitent.
Quare in istis temerarijs votis sequamur
regulam: In malis promissis rescinde fi-
dem, in turpi voto muta decretum, præ-
terea hic locus admonere debet Papistas,
ne adeò crudeles essent in iuenculas, quas
in Mo-

T I M O T H.

in Monasteria includunt, vbi nihil præter certam damnationem inueniunt.

Simul & ociosæ discunt circuire domos, nec solum ociosæ, uerum etiam garrulæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Aliud argumentum ab adiunctis sumtum. Solent enim iuuentulæ viduæ, his tribus vitijs, otio, curiositati & garrulitati obnoxie esse: Quales non decet eas esse, quæ rebus Ecclesiæ sunt præficiendæ, non igitur tales recipiendæ sunt.

Volo igitur iuniores nubere, liberos gignere, domum administrare.

Prolepsis est. Anteuertit enim objectionem eorum, qui ex dictis poterant sumere argumentum contemptus viduarum iuniorum, quas Paulus minimè vult contemni, sed vult vt sanctum coniugium rursus amplectantur, quò suæ consulant infirmitati & periculo. Hic clarè vides temerè secundas nuptias reprehendi, liberos gignere, domum administrare, sunt propria

EPIST. I. AD

pria matronarum officia, quæ officia verè Deo placent, & in ijs fides exercetur.

Nullam occasionem dare aduersario, ut habeat maledicendi causam.

Hęc ratio à communi Christianorum officio sumta est, quod est cauere ne præbeant hostibus religionis maledicendi causam. Neq; enim potest iuencula vidua adeò inculpatam vitam agere, quin hostes aliquam calumniandi rimulam inueniant. Hic locus monet, vt non solum ipsi bonam conscientiam apud nos habeamus, verumetiam vt præcidamus alijs, quantum in nobis est, oblatrandi occasionem.

Nonnullę enim iam deflexerunt post Satanam.

Rationem ab exemplo addit, ac si dicat, experientia me docet, quantum periculum sit iuniores viduas recipere, nam nonnullę ob vitę lasciuiam à fide defecerunt, sed coniunctum posuit, vt exaggeraret periculum, & malum lasciuie, qui enim à Christo deficit, mancipium Satanę statim

T I M O T H.

tim euadit. Obseruandus locus, quod à Christo deficere, sit Satanam ducem sequi.

Quòd si quis fidelis, aut si qua fidelis habet uiduas, suppetat illis, & non oneretur Ecclesia, ut ijs, quæ uerè uiduæ sunt, suppetat.

Prolepsi anteuertit obiectionem, iuniores uiduæ interdum æquè indigent, atq; grandiores, cur non igitur recipiendæ sunt? Paulus responderet, quòd uiduarum iuniorum parentes, cognati & affines eis necessaria suppetent. Huius propositio- nis duplicem rationem apponit, Priorem, ne sumtibus oneretur Ecclesia, Posterior, ut sit unde verè uiduæ sustententur.

Qui benè præfunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, maximè qui laborant in sermone & doctrina.

Tertia huius capituli pars est, de Presbyterorum honore & victu, & videtur

K Pau-

EPIST. I. AD

Paulus duo genera Presbyterorum notare: Vnum eorum, qui non docendo, sed alia ratione Ecclesiæ seruiuerunt, Nimirum in causis cognoscendis & iudicandis inter fratres: Alterum eorum, qui ministerio verbi fungebantur. Vtrosq; vult quidem honorari, sed magis eos, qui in doctrina & sermone laborant, vt Parochi & Episcopi, & Catechetæ, quos hodie Doctores vocant. Duo igitur hîc obseruentur. Primum, quòd sit auditorum Euangelij officium, suos honorare Pastores, quibus & victum debeant iure diuino, vt vacare possint legi Dei. Alterum, quòd Pastorum sit benè præesse, hoc est, ita vt omnia postponant, vitam & fortunas, diligentia in officio, & laborare in doctrina & sermone, quò ædificetur Ecclesia illorum ministerio, atq; ita sibi mutuo ius analogum debent doctores & auditores. Præterea hoc dicto confutantur Anabaptistæ, & Libertini, qui verbo contempto, (in quo Paulus vult laborare ministros Euangelij) quarunt reuelationes nouas extra & contra verbum Dei.

Dicit enim scriptura, **Bovitrituranti non obligabis os.**

Ratio

T I M O T H.

Ratio à pronuntiatis ac simul ab exemplo allegorico. Locus est Deut. 26. ubi Dominus ita iuxta hæbraicam veritatem dicit. Non ligabis os boui in tritura sua. Quo sanè dicto nihil aliud vult, quàm vnumquemq; dignum esse premio, pro suo labore fideliter præstito. Triturantis enim bouis allegoria arduum & difficilem, atq; adeò serium laborem requirit ab Episcopo. Non vult ita honorari porcos, qui tantum suo abdomini & ventri seruiunt.

Et dignus est operarius mercede sua.

Alia ratio à genere sumta, & videtur fuisse vulgare dictum apud Iudæos, vsurpatum etiam à Domino Matth. 10. & Luc. 10. Nota rursus, quòd operarium dicat dignum mercede. Quare qui ociosus delitijs studet, mercede indignus significatur. Porro copiosiore huius loci explanationem habes 1. Corinth. 9. Matth. 10. & Luc. 10.

Aduersus Presbyterum accusationem non admittas, nisi sub duobus aut tribus testibus.

K 2 Hoc

EPIST. I. AD

Hoc quoque ad honorem Presbyterorum referri potest, ne calumniatoribus vitæ ac famæ eorum præbeat aurem Episcopus, nisi prius legitimis testibus fuerint conuicti. Nam si delatoribus auscultare velit, sine causæ euidenti cognitione, fieri non potest, quin sæpe præcipitet iudicium, ac in innocentes temerè inuehatur. Chrysostomus hoc præceptum non ad dignitatem seu ordinem, sed ad ætatem in genere refert. Porro quod eddit, de duobus aut tribus testibus, ex lege sumtum est, quod quia non tantum iudiciale est, verum etiam naturalis æquitas id postulat, nos quoque obligat.

Peccantes coram omnibus argue, ut & reliqui timorem habeant.

Hoc præceptum nisi intelligatur de manifestis peccatis, cum mandato Domini iubentis arguere fratrem inter te & ipsum solum, stare non potest. Quare non dubium est, quin de emendatione & correptione publicorum delictorum intelligendum sit hoc Pauli præceptum, nam publicè traducere delictum fratris, tibi forte

T I M O T H.

fortè & paucissimis alijs notum, cum caritate Christiana pugnat. Præterea nihil ædificat talis correptio, imò potius plurimum ad destructionem facit, non solum eorum qui inde scandalizantur, verum etiam eius, qui arguitur. Intempestiva enim & publica castigatione correptus, sæpè pudore omni deposito in peccandi licentiam prolabitur, qui amica & priuata castigatione emendari poterat, quam si contemneret, iuxta regulam à Domino præscriptam Matth. 18. agendum esset.

Contestor coram Deo & domino Iesu Christo, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Hæc contestatio, qua veluti sacramento obstringit Timotheum Paulus, quàm arduum sit Episcopi munus ostendit, Et continet valde seriam admonitionem, ne in conspectu tantorum testium, Dei patris, Christi & electorum Angelorum (hos electos ad discrimen reprobatorum vocat) quicquam faciat eorum, quæ ad Episcopi

K 3 munus

EPIST. I. AD

munus pertinent, ex priuatis affectibus, sed vt omnia legitimè & ritè in gloriam Dei & Ecclesiæ ædificationem, iuxta præscriptos canones, neminem cuiquam priuatas ob causas præferendo agat. Vbi versio vulgata habet, nihil faciens in alteram partem declinando, Græci codices multi habent $\kappa\tau\iota$ πρόσκλισιμ (à προσκλίνω, id est, inclino) id est, iuxta inclinationem, hoc est, prout animus huic vel illi fauet, non tam causæ quàm personæ habita ratione. Hanc lectionem græcam sequutus Erasmus, reddidit $\pi\tau\iota$ φρασικῶς, iuxta propensionem animi. Alij codices (quemadmodum & Chrysostomus legit) habent $\kappa\tau\iota$ πρόσκλησιμ à προσκαλέω, id est, aduoco, hoc est, si verbum verbo reddere velis, iuxta aduocationem, hoc est, non propterea causæ alicuius fauebis, quia eius aduocatus es, & rogatus, vt ipsum in sua causa adiuues, sed rectum iudica iudicium, seposita omni personarum ratione, vnde quidam Latini sic habent: Nihil faciens per aduocationem, id est, si aduocatum alicuius agis, in alteram partem declinando. Hæ omnes lectiones, tametsi in verbis discrepant, eandem tamen sententiam offerunt, nimirum vt Episcopus iuxta cano-
nes

T I M O T H.

nes à Paulo præscriptos, omnia agat ac iudicet, veritatem causæ pluris faciendo, quàm personæ conditionem, quod sanè omnibus iudicibus in commune commendatur Exod. 18.

Manus citò nemini imponas.

Aliud consilium seu alium canonem de ordinandis ad officia Ecclesiastica addit, ne cui nisi satis idoneo & probato, manus imponat, hoc est, ne quem ordinet ad functionem Ecclesiasticam. Est enim per metonymiam, signum pro re signata, positum. Hic cordatum requirit Episcopum, qui non statim quemlibet ad munus Ecclesiasticum admittat, sed tantum probatos, iuxta superiores canones.

Necq; communices peccatis alienis.

Ratio est superioris canonis seu consilij, quemq; pium decet cauere, ne alienis peccatis communice, hoc est, ne fiat reus alienorum peccatorum, quod illi accidit Episcopo, qui eum ministerio Ecclesiæ præfecit, cuius doctrinam & vitam adeo

K 4 augu

EPIST. I. AD

augusta functione dignam non iudicat. Locus obseruandus, quòd alieno reatu obstringuntur, quotquot sua negligentia, aut affectibus priuatis faciunt, vt indigni & inidonei rebus in Ecclesia gerendis præficiantur.

Teipsum purum custodi.

Vniuersale præceptum est, vt in omnibus actionibus adhibeat hanc diligentiam, ne vel in priuata vita, aut publico officio quid agat, vnde contaminari possit, néue accerset sibi reatum alieni peccati.

Ne posthac bibas aquam, sed paulo uino utere, propter stomachum tuum, & crebras tuas infirmitates.

Consilium interserit de tuenda valetudine. Vt enim intemperantia fugienda est Episcopo: Ita valetudinis ratio non est negligenda, ne nimia abstinentia lædatur valetudo. Vterq; n. reus est coram Deo, cum qui intemperanter viuit, tum qui valetudinis ratione neglecta, nimium corpus macerat, vnde inutilis rebus, quas requirit, vocatio, redditur.

Quo-

Quorundam hominum peccata, antè manifesta sunt, præcipientia ad iudicium, quosdam uerò subsequuntur.

Hic in ordinis assignatione quintã huius capituli constituit partẽ, quã quorundã iudicio consolatoria est, qua aduersus hypocritas sustentat Timotheum, ne fractus illorum fraudibus, qui astutè se insinuant in Ecclesiastica officia, animum despondeat, futurum esse prædicens, vt tales aliquando protrahantur in medium, & conarguantur illorum malefacta, vt ut ad tempus lateant. Verùm cum rem diligentius examino, alius sensus, ac verior se huius loci offert, dixerat suprã, nemini citò manus imponas. Hic eius consilij rationem reddit in hanc sententiam: Nemini citò manus imponas, ne admittantur improbi. Improborum autem quorundam peccata, manifesta sunt, antequam veniatur ad iudicium, id est, examen doctrinæ & morum, de his facile est iudicium, Nempe quòd non sint admittendi ad munus Ecclesiasticum. Contrà autem quorundam improbitas occulta est, ita vt appareant

K 5 probi

EPIST. I. AD

probi & idonei, qui Ecclesie Christi præficientur, sed illorum scelera tandem se produnt suo tempore. De his quia difficilius est iudicium, differenda est ordinatio eorum, & longiori tempore faciendum est periculum, relabentur ne an non in priora scelera. Nam de his loquitur Paulus qui ex Ethnicismo conuersi receperant doctrinam Euangelij, inter quos fuerunt plurimi Hypocritæ, veluti inter eos, qui hodie Monasticæ vitæ aut Papisticæ renunciantes, Euangelium se amplecti dicunt.

Similiter & bona opera antè manifesta sunt, & quæ secus se habent occultari non possunt.

Antithesis est superioris sententiæ, huius similiter duplicem adferamus interpretationem, quarum prior est, quod sit consolatio, qua probos & innocentes erigit, quorum interdum innocentia & integritas nota est, & in precio apud homines habetur. Interdum secus se habet, id est, non est nota, nec est in precio apud homines, quæ tamen occultari non poterit, quin in medium suo tempore proferatur. Posterior

TIMOTH.

sterior interpretatio est de admittendis ad
functionem Ecclesiasticam, qui etiam in
duplici sunt discrimine. Nam quorundam
bona opera manifesta sunt ante iudicium,
id est, examen doctrinae, ita ut abesse vide-
atur omnis hypocrisis, & tales admittendi
sunt. Rursus quorundam benefacta, non
ita sunt manifesta, sed latent. Hos probari
ad tempus oportet, donec se ipsorum inte-
gritas manifestè prodit, atq; ita demum
eis manus tutò imponere licebit. Quane-
quam autem uterq; sensus utriusq; mem-
bri collationis praesentis est analogus fi-
dei, tamen posterior praesenti loco accom-
modatior est, quem & peristasis loci, &
verborum ordinatio requirere videtur.

CAPVT SEXTVM.

SVMMMA SEXTI CAPITIS.

Serui fideliter praestent dominis suis ho-
norem debitum. Qui diuersam doctri-
nam

4

10

11

EPIST. I. AD
nā contentiosè sequuntur, caueantur. Qui-
libet sit contentus victu & amictu. Episco-
pus in omni virtutum genere emineat,
monstretq; diuitibus suum officium.

ORDO SEXTI
CAPITIS.

HVius capituli quatuor sunt præcipuæ
partes, quarum Prima est, de seruo-
rum obedientia. Secunda, de falsis docto-
ribus & lucri cupidis. Tertia, de Episcopi
innocentia & virtutum studio perpetuo.
Postrema, de diuitum instructione, & ve-
ro & legitimo diuitiarum vsu. His sub-
iungit admonitiunculam de seruando de-
posito. Tandem totam Epistolam fausta
imprecatione claudit.

EXEGESIS SEXTI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Quicumq; sub iugo serui sunt,
suos Dominos omni honore
dignos ducant, ne nomen Dei
& doctrina blasphemetur. Qui
uero

T I M O T H.

uero fideles habent dominos, ne eos despiciant, quod fratres sint, sed potius inseruiant, quod fideles sint, ac dilecti, qui beneficij participes sunt.

Prima huius capituli pars de obedientia seruorum, quorum domini aut sunt adhuc extra regnum Christi, aut Christo nomina dederunt. Illis vult seruos obedire, ne nomen Dei & doctrina male audiat. His verò, quia fideles sunt & participes eiusdem gratiæ, neq; sunt contemnendi, id est, minus honorandi, quia fratres sunt. Hic primum obserua, Euangelium non tollere distinctionem & gradus personarum. Tametsi autem æquale ius est omnium filiorum Dei, quantum ad salutem & regnum Christi attinet: Tamen in ciuili vita discrimina personarum & ordinationes Dei amplecti oportet. Deinde obserua eorum mores prauos, qui Christo dederunt nomina, dedecori esse Euangelio. nam impij doctrinam æstimant ex moribus eorum, qui eam videntur amplecti. Porro de seruis, vide plura Ecclesiastici 33. ad Ephes. 6. ad Colos. 3. & 1. Petri. 1.

Hæc



EPIST. I. AD

Hæc doce & exhortare.

Hæc duo ideo coniungit, quia non solum docendi homines sunt quæ recta sunt, verum etiam propter ignauiam carnis exhortationibus, vt stimulis incitandi sunt.

Si quis aliter docet, nec acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi.

Secunda huius capituli pars, de fugiendis falsis doctoribus & ostentatoribus, qui doctrinam adulterant, nunc fallacijs, nunc orationis illecebris. Simplex enim cum sit veritas, simplicem orationem & minimè ad ostentationem compositam requirit. Sanos sermones vocat metonymiç, quia sanitatem animæ conferunt. Debet igitur non ad ostentationem, sed ad ædificationem formari oratio.

Et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ.

Interpretatio est, nam qui non sint sani sermones, à fine & materia declarat, nam ea demum est sana doctrina, quæ & pietatis præcepta continet, & ordinatur ad pietatem concipiendam, fouendam & augendam.

Infla-

TIMOTH.
Inflatus est.

Descriptio est vani doctoris, ac primum omnium causam ponit, nimirum inanis gloriæ cupiditatem, qua eloquentiæ & doctrinæ captatur laus. Quicumque igitur vtiliter docere cupit Ecclesiam Christi, inanem iactationem deponat oportet, & in timore Dei, quæ ad ædificationem faciunt, simpliciter proponat.

Nihil sciens.

Hoc ad effectum pertinet, qui arrogantia inflatur, nihil scire Spiritui sancto dicitur, Cum quia illi ipsi, quæ nouit inutilia sunt, tum quia alios non ædificat.

Sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum.

Hic inanis ostentationis effectus est, qui enim captant doctrinæ laudem, quæstionibus & verbis insistant, quò argutiores alijs esse videantur, quales sunt hodie Sorbonici & alij, qui hac ratione nomen sibi quærunt, & doctrinæ laudem. Sed Paulus tale studium, languorem seu morbum appellat, qui interitum veræ doctrinæ in animis hominum præcedit.

Ex



EPIST. I. AD

Ex quibus oriuntur inuidia,
contentio, blasphemix, suspicio-
nes malæ, superuacux conflictationes.

Ociosarum quæstionum & arrogantiæ fructus enumerat, quantum quidem ad ipsos ostentatores attinet, isti enim sibi mutuo inuident, dum vnus veretur, ne alter sibi palmam gloriæ præripiat. Hinc contentiones, ex quibus maledicentiæ, quæ suspiciones malas pariunt, Hinc disputationum multitudo, & perplexitas, vnde fit vt nimium altercando veritas amittatur.

Hominum corruptorū mente, & quibus ademta est veritas, qui quæstui habent veritatem.

Triplici nota eosdem describit ostentatores. Primum enim eos dicit corruptos mente, id est, iudicio & intelligentia. Deinde, priuatos veritate, qua poena nulla potest maior esse, tum dicit, eos existimare pietatem esse quæstum. Tales enim omnia lucro metiuntur. Hac proinde nota, quò
talium

T I M O T H.

talium ostentatorum studia pertinent, indicat, nimirum, vt suæ auaritiæ satisficiant.

Seiungere à talibus.


Præcipit Timotheo, vt inemendabiles huiusmodi thraones & quæstionarios fugiat, ne ipse quoq; quæstionum labyrinthis inuoluatur.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.

Vt eos coarguit, qui ex doctrina pietatis quæstum corporalem sibi quærunt: Ita iam spirituales quæstum in pietate situm commendat, eumq; magnum esse admonet, adfert enim absolutam suis cultoribus beatitudinem, cum addit, cum sufficientia, Alludere videtur ad promissionem Christi: Quærite primum regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. En pietatis quæstum, regnum & iusticiam Dei, cui promissio accedit reum ad hanc vitam necessariorum.

Nihil enim intulimus in mundum, certum est quod neque

L que



EPIST. I. AD
que efferre quicquam possu-
mus.

Ratio est proximæ propositionis à
contingentibus. Vt enim nihil contuli-
mus nobiscum in mundum ; Ita nihil ef-
ferre poterimus. Quarè sufficientia, qui pi-
etatem colit, sit contentus.

Habentes autem alimenta
& tegumenta, his contenti eris-
mus.

Modum sufficientiæ explicat, verum
si quid in honesta vocatione ex labore no-
stro per benedictionem Domini accesserit,
cum gratitudine animi accipiendum est,
ac possidendum iuxta consilium Pauli :
Qui possidet sit quasi non possideat, hoc
est, paratus sit ad abijciendas facultates, si
id necessitas vocationis aut pietatis postu-
lauerit.

Nam qui uolunt ditescere,
incidunt in tentationem & la-
queum, & concupiscentias mul-
tas, stultas & noxias, quæ des-
mer-

T I M O T H.

mergunt homines in exitium & interitum.

Iam ex effectu contrariæ causæ hortatur, vt quilibet victu & amictu sit contentus, Id enim omnino p̄is fugiendum est, quod trahit in exitium. Cupiditas diuitiarum id facit, quare p̄is habendi cupiditas fugienda est. Proinde p̄is est, vt sit sufficientia illa, quæ cum pietate stare potest, contentus. Porro dicuntur illi velle ditescere, qui studium pecuniæ omnibus alijs rebus anteponunt.

Radix enim omnium malorum est auaritia.

Aetiologia est ab effectu auaritiæ, quæ omnium mater existit malorum. vnde Salomon: Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. Et Augustinus: Cum auaritia alicui dominatur, subiectus omnibus malis demonstratur. Phocylides: Ἡ φιλοχρημοσύνη ματὴρ κακότητος ἀπάσης.

Cui addicti quidam aberrarunt à fide, & seipsos implicauerunt doloribus multis.

L 2 Exem-



EPIST. I. AD

Exemplo declarat quod dixit, Auari enim fidem deserunt. Nam fides solo Deo nititur, Auaritia vero Dei loco pecuniam veneratur & colit. Præterea ubi auaritia animum occupauerit, dolorum finis nullus existit. Aut enim quæ non habet avarus, anxie cupit, aut quæ habet, metu in ea mittat. Atque ita doloris nulla in avaris remissio est.

Tu autem, ô homo Dei, fuge hæc.

Quod in genere fugiendum monuit, nunc apostrophæ forma Timotheo accomodat. Nec frustra eum hominem Dei vocat. Tametsi enim omnes homines Dei sunt ratione creationis: Tamen iusti seu renati peculiariter homines Dei dicuntur, quorum & Deus curam peculiarem habet, & qui hoc titulo honorario admoventur, ut ea studiosè quærant, quæ ad Deum pertinent celebrandum.

Sectare uero iusticiam, pietatem, fidem, dilectionem, patientiam, mansuetudinem.

In quibus rebus oporteat potius occupari,

TIMOTH.

cupari, quàm in lucro captando, in hac
tertia huius capituli parte monet. Porro,
cum quædam virtutum genera recitat,
veluti exempla quædam proponit virtu-
tum, ad quas toto vitæ cursu conniten-
dum est.

Certa bonum certamen fidei.

Quò virtutum illarum, quas recita-
uit, enumeratio pertineat, ostendit, nem-
pe, vt sint fidei certantis instrumenta. Vn-
de tria colligamus. Primum, piorum vi-
tam non esse destinatum ocio, sed acri cer-
tamini. Deinde, quòd illud certamen fidei
augendæ & retinendæ destinatur. Nam si
virtutum studium abieceris, fides extin-
guitur, adeoq; succumbit. Postremò, euen-
tum certaminis felicem fore pollicetur,
dum bonum certamen nominat. Huc per-
tinet quod suprà dixit, Milita bonam mi-
litiam, habens fidem & bonam conscien-
tiam,

**Apprehende uitam æternam,
ad quam etiam uocatus es, con-
fessus bonam confessionem cor-
am multis testibus.**

L 3 Sco



EPIST. I. AD

Scopum certaminis exprimit, vitam æternam, cuius incomparabilis æstimatio, meritò nos ad certamen excitare deberet. Huc addit duo argumenta, prius ab occasione sumtum, posterius ab antea facta vita Timothei. Vtrumq; ad locum honestatis referendum est, ac si diceret: Habes pietatis tuæ, per quam ad vitam æternam, quò vocatus es, contendis, præclaros testes. Persta igitur inuictus, donec eam apprehendas.

Denuncio tibi coram Deo, qui uiuificat omnia, & Christo Iesu, qui testificatus es bonam confessionem coram Pontio Pilato, ut serues mandatum immaculatus & irreprehensibilis, usq; ad reuelationem Domini nostri Iesu Christi.

Vt vehementius vrgeat Timotheum, addit obtestationem, quæ Timotheum admonebit, quàm serio requiratur ab Episcopo in officio, atq; adeò in tota vita, summa diligentia. Nam hîc mandatum pro officio, quod sustinuit Timotheus, ponit.

T I M O T H.

ponit, Immaculatus, ad puritatem consci-
entiae, Irreprehensibilis, ad famam coram
hominibus referetur. Hanc exhortatio-
nem confirmat duobus argumentis, quo-
rum prius sumtum est, à præsentia Dei vi-
uificantis omnia, vnde etiam renatos sua
gratia iuuare non desinit. Posterius ab ex-
emplo Christi, qui bonam confessionem
testificatus est coram Pontio Pilato, dum
vsq; ad mortem pro veritate certauit.

**Quam suis temporibus ma-
nifestabit beatus & solus prin-
ceps.**

Ne mora aduentus Christi tardio-
rem reddat, addit de eius certa & indubitata
apparitione, cuius cogitatio stimulus ad
officia pietatis omnia esse debet pijs. Cùm
Deum beatum & solum principem vocat,
significat ab ipso solo beatitudinem expe-
ctandam, nec esse nisi meram laruam feli-
citatem mundi sine benedictione Dei.

**Rex regnantium, & Domi-
nus dominorum.**

Cur Deum solum principem vocat
exponit, nimirum, quia ipse natura sua

L 4 domi-

EPIST. I. AD

dominus & princeps est, à quo mundi principes suam habent eminentiam. Unde admoneri nos oportet, vt huic præ alijs omnibus obedientiam & cultum præstemus.

Qui solus habet immortalitatem.

Si ille solus habet immortalitatem, ab eo sanè omnis vita & felicitas pender. Quare non in caducis mundi rebus, sed in eo solo spes omnis figenda est. Ab ipso enim qui sua natura solus viuit & est immortalis, nos vitam & immortalitatem ex gratia accipimus.

Qui lumen habitat inaccessum.

Magnum exhortationis pondus habet hæc oratio, Si enim Deus solus habitat lumen inaccessum, vbi refulget eius gloria & maiestas, & in cuius fruitione sola felicitas sita est, sequitur neminem suo proprio Marte posse ad illud lumen accedere, imò eo magis discedere, quo magis in mundi tenebris & rebus caducis inuoluitur. Quare consultum est, vt in pietatis studio anhelemus ad ipsum, vt aliquando perfe-

T I M O T H.

perfectè fruamur Deo, quem hic tantum
ex parte, & veluti in ænigmate cognosci-
mus.

Quem uidit nullus homi-
num, neq; uidere potest.

Quia nos renouari oportet, vt simus
Deo similes, priusquam eum videre possi-
mus (in hac enim mortali natura non vi-
detur, nisi oculis fidei) hîc nobis pietatis
studium commendat, & sanctificationem,
sine qua nemo Deum videbit vnquam.

Cui honor & potentia æter-
na, Amen.

Hac clausula monet, quò omnia no-
stra studia referenda sunt, nimirum, vt Dei
laudibus perpetuo studeamus, quod cum
sit, minus auaritiæ & rebus mundi cadu-
cis studebimus.

Diuitibus in hoc seculo præ-
cipe.

Quarta huius capituli pars est, valde
commodè superioribus addita. Nam cum
suprà contentos vult esse pius victu &
amictu, quæstio oriri poterat de diuitibus,

L 5 an ipsi

EPIST. I. AD

an ipsi abh̄ciant diuitias. Et si nō abh̄ciant, quis earum sit legitimus vsus. Vtramq̄ quæstionem expedit. Primum enim nequaquam temerè abh̄ciendas esse diuitias præcipit. Deinde animum diuitum informat, & vsum diuitiarum monstrat.

Ne elato sint animo, neue sperent in incertis diuitijs, sed in Deo uiuente, qui præbet nobis abundè omnia ad fruendum.

Hæc ad animum diuitum rectè formandum pertinent. Primum, sit animus humilis, nihil sibi arrogans, non contemnens pauperiores, quod mundo vsitatum est. Deinde spes in diuitijs ponenda nō est. Idq̄ confirmat ab earum incertitudine. Sunt enim diuitiæ adeò incertæ, vt qui hodie Croesum, cras fortè Codrū referat. Tertiò, vt diuites in Deo uiuente sperent, cuius duæ sint rationes: Prior, quod diuitiæ, nec in se vitam habent, nec vitam cuiq̄ conferre possunt. Contrà, Deus & in se vitam habet, & vitam omnibus confert. Quare in ipso vt vitæ fonte sperandum est. Altera ratio est à causa bonorum. Deus est omnium bonorum dator. Ergo
in ipso

T I M O T H.

in ipso, & non in incertis diuitijs spes fixa esse debet.

Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, libenter communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant uitam æternam.

Nunc de vsu diuitiarum præcipit, in quo duo spectentur. Primum, de modo vtendi diuitijs. Alterum, de remuneratione & scopo, qui omni actioni profixus esse debet. Modus vtendi est, vt benè agant diuites, præluceant alijs in bonis operibus, vt qui maiorem occasionem habeant quàm tenues, vt sint liberales erga egenos. Ratio additur à remuneratione, quæ est thesaurizare fundamentum bonum, id est, recondere firmum thesaurum in futurum. Nam Deus vult ex mera sua bonitate, mercedem indebitam officijs ex fide factis reddere. Pendet proinde hæc remuneratio non ex meriti ratione, sed ex liberali Dei acceptatione. Scopus præfixus est, vt apprehendant diuites vitam æternam, quæ tamen

EPIST. I. AD

tamenti donum est per Christum Iesum;
Tamen est compensatio obedientiae no-
strae erga Deum. Quare nequaquam pu-
gnat haec remuneratio cum gratuita iusti-
ficatione.

O Timothee, depositum ser-
ua,

Conclusio est exhortatoria, omnia su-
perius dicta vna voce Timotheo in me-
moriā reuocat. Blanda haec compellatio,
exhortatorij argumenti vim habet. De-
positi nomen significat, quicquid ex dono
Dei collatum fuit Timotheo, cum ad pro-
priam salutem, tum ad aliorum aedifica-
tionem spectans. Et tria in summa com-
plectitur, 1. Gratiam fidei. 2. Puritatem
vitae, 3. In officio sanctam & sedulam sol-
licitudinem. Ad quae tria omnia superius
dicta, tanquam ad capita referri possunt.
Sed cur haec depositi nomine signauit?
Habet haec vox cum doctrinam vtilem,
tum exhortationem in se. Doctrinam qui-
dem, qua Timotheus cognoscit, quod non
ex seipso, sed ex Dei dono tanta bona ha-
beat. Deinde, quod debeat diligens cus-
tos esse depositi tanti, quod non homo,
sed Deus sibi concrediderat. Exhortatio-
nem

T I M O T H.

nem verò, vt iuxta eius arbitrium, qui thesaurum apud se deposuit, eundem dispenfer. Hinc & nos singuli discamus, Primum, dona Dei collata nobis esse, non vt ea negligamus, vel ijs abutamur, Sed vt ea potius fideliter in nostram & aliorum ædificationem vsurpemus, alioqui donis collatis spoliendi, iuxta parabolam de talento.

Deuitans prophanas uocum inanitates.

Deposìtum seruandum monuit: Nunc fugiendum hortatur, quod corrumpere depositum poterat. Per uocum inanitates intelligit orationis fucum, quo vt uana dicentis gloria captatur: Ita nihil ad ædificationem facit. Vult proinde ampullas uerborum, & inanem loquacitatem amotas esse à sanctissimo uerbi ministerio, nec tamen probat Paulus indoctam & rudem orationem. Nam in sequenti Epistola requirit Episcopum, qui rectè possit secare uerbum Domini. Non igitur hinc patrocinatur rudibus, sed arrogantiam & inutilem garrulitatem taxat.

Et oppositiones falsi nominis scientiæ.

Fu

EPIST. I. AD

Fuisse quosdam, qui ex Sophistarum scholis in Ecclesiam inuehere conati sunt argutias sophisticas apparet, inde gloriam & scientiæ laudem venantes, quod possent in vtramque partem de qualibet re proposita argutè differere. Ab hoc ambitionis studio, Paulus vult Episcopum alienum esse, vt qui veritati propagandæ & defendendæ totus incumbere debeat.

Quam nonnulli profitentes circa fidem aberrauerunt.

Argumentum addit ab infelici euentu eorum, qui garrulitati & contradicendi studio se assuefaciunt. Nam tales, amissa vera & sana doctrina, circa fidem aberrant. Est enim fides scopus, ad quem collimare oportet, qua amissa, nihil præter errores reliquum manet.

Gratia sit tecum, Amen.

Hæc epistolari clausula optat Timotheo gratiam, vt in ea ad finem vsque persistat, militans honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Nam qui mala viuunt conscientia, vt fidei vacuus: ita & gratiæ expers est. Particula

Amen, quid sibi velit, omnibus notum est.

AR-

TIMOTH.

ARGUMENTVM
IN POSTERIOREM EPI
STOLAM PAULI AD
TIMOTHEVM.



N enarratione sacrorum scri-
ptorum, necessariò in princi-
pio admonendi sunt audito-
res, de his quatuor. Primùm,
de autore scripti, vnde auto-
ritas scripto conciliatur. Secundò, de occa-
sione, vnde ordo tractationis melius per-
spicitur. Tertiò, de statu seu quæstione
principalì, vna ne sit an plures, ex quo ge-
nus causæ cognoscitur. Postremò, de Me-
thodo seu tractationis ordine, Quoniam
autem de primo, hoc est, autore scripti sæ-
pius dictum est, hîc tantum de reliquis tri-
bus dicam.

OCCASIO.

Duplex occasio videtur Paulo fuisse
ad scribendum hanc Epistolam. Prior,
ipse Paulus iam Romæ in carcerem erat
coniectus, paulò post supplicio afficien-
dus, propter testimonium Christi, Quare
scribis

EPIST. II. AD

scribit Timotheo, cumq; animat suo exemplo, ad constantiam in confessione Christi. Posterior, fuit communis Ecclesiæ eius temporis afflictio. Nam tum tribus potissimum malis affligebatur Ecclesiæ, nimirum, inconstantia & leuitate quorundam doctorum in ecclesiæ, qui disputarunt acutius, quàm vixerunt rectius: minis tyrannorum, qui Ecclesiæ extremum interitum minabantur: & cruce varia piorum. Proinde contra scandala hæc munit Timotheum Paulus. Porrò quia eisdem malis & hodiè premitur Ecclesiæ, longè utilissima erit lectio huius Epistolæ, omnibus pijs. Nam exemplo Pauli & exhortationibus saluberrimis erigit animos piorum, ne vel leuitate docentium, vel minis tyrannorum, vel cruce piorum fracti, abijciant confessionem.

QVAESTIO SEV STATUS.

Status seu quæstio, quò omnia tendunt, statim exordium sequitur, nimirum, ut suscitetur donum Dei, quod per manuum impositionem illi contigerat cumulatius, quò inuictus stare possit, aduersus omnia dura, tanquam miles Christi strenuus.
Pro-

TIMOTH.

Proinde, genus causæ est Suasorium seu Paræneticum, in quo partim hortatur ad officium, partim dehortatur à corruptelis doctrinæ, ne illis inuoluatur Timotheus, in suam & aliorum perniciem.

TRACTATIONIS
ORDO.

Ordo arbitrarius est, qualis esse solet in suasorio genere. Quare non opus est subtiliter partium consecutionem rimari. Sed hoc teneatur, quòd omnia ad statum sint referenda. Post epigrapham, salutationem & exordium sequitur propositio suasoria, vt in doctrina & munere sibi commisso præstet se fidelem. Huic subiungitur probatio & amplificatio à contrarijs exemplis, & similitudinibus: vnde in commendationem Euangelij dilabitur, & inde in exhortationem, nimirum, vt eam doctrinam seruet Timotheus, ac alijs tradat suo exemplo. Tum dehortatur à vanis quæstionibus & disputationibus, idq; propter periculum, quod confirmat exemplo Hymenæi & Phileti, vnde redit ad Timotheum exhortandum, & vt magis illum vrgeat, prædicat qualia sint futura

M tura



EPIST. II. AD

tura pericula, qualesq; mores hominum in extremis diebus. Deinde redit ad paræneses, quibus addit rectum scripturæ usum. Post hæc addit contestationem, ac mortem sibi imminere dicit. Præterea Timotheum ad se vocat propter præsentem necessitatem.

CAPVT PRIMVM.

SVMMA PRIMICAPITIS.

Post Epigrapham, salutationem & exordium (in quo collaudat fidem erga Deum, constantiam in doctrina & affectum Timothei erga se) hortatur Timotheum, vt suscitet donum quod in ipso est, vt non erubescat Euangelij causa, sed potius patiat pro eo suo exemplo. Præterea vt teneat formam doctrinæ. Postea quosdam se reliquisse conqueritur, vnus Onesiphori pietatem & erga se studium prædicans.

OR-

TIMOTH.
ORDO CAPITIS
PRIMI.

Huius capituli partes sunt quatuor. Prima, Epigrapha cum salutatione. Secunda, Exordium. Tertia, parænesis. Quarta, significatio seu quærela defectio- nis Asianorum à se ob vincula sua, cum prædicatione pietatis Onesiphori erga se.

EXEGESIS PRIMI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Paulus Apostolus Iesu Chri-
sti, per uoluntatem Dei, secun-
dum promissionem uitæ, quæ
est in Christo Iesu.

Hæc epigraphæ prima pars est, quæ
cōtinet quatuor. Primum, nomen autoris
huius Epistolæ. Secundum, officium eius-
dem, nimirum, quod sit Apostolus, id est
Iesu Christi. Vnde admonemur, quo in
loco ea nos habere oporteat, quæ à Paulo
dicuntur, nimirum quod ita accipienda
sint, ac si Christus ea suo ore sonaret. Ter-
tio, addit differentiam veri Apostoli.

M 2 Nam

EPIST. II. AD

Nam verus Apostolus Deo mandante & volente currit. Falsus vero sibi ipsi Apostolatum sumit. Quarto, finem sui Apostolatus atrexit, cum inquit, secundum promissionem vitæ, hoc est, Apostolus sum constitutus, vt promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu, annunciem. Est autem promissio vitæ, salutis æternæ promissio, cuius omnes fiunt participes, qui credunt Euangelio.

Timotheo dilecto filio.

Altera epigraphæ pars, continens nomen personæ, cui Paulus scribit. Deinde affectum Pauli erga illum. Cum eum dilectum filium nominet, insinuat quomodo affecti erga se mutuo debeant esse docentes & discentes. Vt enim illi paternam *σοφίαν*: Ita hi pietatem erga illos haud simulatam fouere debent.

Gratia, misericordia, pax à Deo patre, & Christo Iesu Domino nostro.

Salutatio hæc seu fausta imprecatio continet fructum prædicati Euangelij. Gratia fauor Dei est, quo nos credentes in filio
com-

T I M O T H.

complectitur. Misericordia eius fauoris causa est. Pax vtriusq; effectus est, quæ est reconciliatio nostri cum Deo, idq; per Iesum Christum dominum nostrum, quem fide possidemus. Hæc nos ad amorem Evangelij excitent,

Gratiam habeo Deo, cui ser-
uio à progenitoribus in pura
conscientia.

Exordij propositio est, eaq; gratula-
toria, agit enim Deo gratias, ob dona Ti-
mothei. Sed quid est quod dicit, se Deo
seruire à prigenitoribus, idque in pura
conscientia? An non persequebatur Evan-
gelium? An non ante conuersionem fuit
securus Hypocrita? Num excusat eum
ignorantia aut Pharisæismus, vt Chryso-
stomus putat? Peccatum quidem leuius
reddit ignorantia, sed ex malo bonum mi-
nimè facit, Nec ita excusat, quin is, qui fi-
de Christi vocet, iure sit damnabilis. Pro-
inde, à progenitoribus colere DEVM,
non significat à prima etate, sed exemplum
& imitationem progenitorum, eorumq;
non quorumuis, sed verorum Israëlita-
rum: vt Abrahæ, Isaac & Iacob, aliorum-

M 3 que

EPIST. II. AD

que qui vera pietate Deum coluerunt. Hinc primum discamus, eodem cultu Deum coluisse sanctos Patres sub lege, quos nos in nouo testamento. Deinde, quod verus cultus Dei ex pura conscientia, id est, ex corde fide purificato, proficisci debeat.

Quòd indefinentem habeam tui mentionem in precibus meis, die ac nocte desiderans te uidere.

Ratio propositionis exordij supra modum mirabilis, agit enim Deo gratias, quòd indefinenter interpellat pro Timotheo, id est, die ac nocte. Piorum igitur summum est gaudium Deum interpellare pro his, quos sentiunt in timore Dei officium facere. Quod autem diei ac noctis faciat mentionem, orationis necessitatem indicat. Nam donec fides in corde hominis locum habuerit, suos producit fructus, timorem Dei, inuocationem, patientiam, dilectionem proximi: Addit de singulari affectu erga Timotheum; Desiderans te uidere, quo dicto, & suum erga Timotheum animum, & virtutis in Timotheo

T I M O T H.

motheo amorem indicat. Vnde quisq; discat dona Dei in alijs suspicere.

Memor tuarum lachrymarum.

Argumentum est summi amoris Timothei erga Paulum. Sine enim lachrymis à Paulo diuelli non potuit Timotheus, adeò charum suum præceptorem habuit optimus discipulus: à quo discamus & nos ἀσοφίαν & ingritudinem fugere, qua nulla alia maior est societatis humanæ pestis. Vt enim caritas, cui mutua gratitudo est coniuncta, vinculum est perfectionis, eò quod incolumem conseruet humanam societatem: ita ingrītudo & ἀσοφία dirumpit eandem.

Vt replear gaudio.

Finis est, cur cupiat Timotheum videre, nimirum, vt ex eius conspectu, gaudio perfundatur. Discamus & nos dona Dei in alijs suspicere, ac gaudere quod fideles in Christo cooperarios habeamus.

Memoria repetens eam, que in te est, haud simulatam fidem.

M 4 Quid

EPIST. II. AD

Quid in Timotheo vsq; adeò amet, exponit, nimirum, quòd Christi membrum sit per fidem, vnde non solùm fidem Timotheo prædicat, verum etiam acres ei stimulos addit, vt in eadem fide constans pergat.

Quæ primùm habitauit in Auia tua Loide, & in matre tua Eunica.

Hoc ad confirmandum Timotheum in syncera fide pertinet. Exempla enim maiorum in pijs & honestis rebus imitari laudabile est. Docemur hîc piorum virtutes magnificere, non sine honesta & honorifica illorum mentione. Præterea nihil foedius esse, quàm egregia maiorum facta pro virili non exprimere.

Persuasus sum autem, quod etiam in te.

Exempli accommodatio. Sed vnde Paulo hæc persuasio? Ex fructibus fidei. Vt enim arbor mala, non potest bonos fructus edere; Ita bonus fructus, arboris virtutem ac nobilitatem indicat.

Proz


TIMOTH.

Propterea commonefacio te
ut exuscites donum, quod in te
est per impositionem manuum.

Hæc propositio exhortatoria est, qua
exhortatur Timotheum Paulus, vt sedulo
officium faciat. Estq; diligenter metapho-
ra obseruanda in verbo exuscitandi. Nam
significat donum quodlibet esse veluti
igniculum, qui facile extinguitur, nisi nu-
trimenta ei addas, ac fabello ipsum susci-
tes. Significat proinde dona Dei ex recto
legitimòq; illorum vsu in nobis crescere.
Contra vero decrefcere, imò penitus tan-
dem extingui in ijs, qui vel ea securè ne-
gligunt, vel ijs abutuntur. Quòd autem
impositionis manuum meminit, eò perti-
net, vt intelligamus dona Dei augeri in
pijs, dum ad officia grauia ac Ecclesiæ
vtilia ordinantur. Nam ordinationi & ex-
ternæ ceremoniæ accedebant preces Eccle-
siæ, quæ sanè nequaquam inefficaces exi-
stimandæ sunt.

Non enim dedit nobis De-
us spiritum timiditatis, sed po-
tentia & dilectionis & sobrie-
tatis.

M 5 Ratio



EPIST. II. AD

Ratio propositionis à consequentibus cōtrariorum. Spiritus timiditatis opponitur spiritui potentiae. Quare, ut spiritus potentiae metonymikōe est Spiritus sanctus, potentem & inuictum animum hominis reddens, vt contra omnia mala fortiter se opponat: Ita spiritus timiditatis est caro ipsa segnis & ignaua, quæ reddit homines meticulosos vt nihil audeant, cum periculum propius imminere senserint. Hinc veram notam strenuorum militum Christi discamus esse inuictum animum in omnibus aduersis. Contrà vero ignauos & meticulosos nondum spiritu Christi præditos esse. Dilectionis & sobrietatis eundem spiritum appellat, à suo vero effectu, vnde verus ille spiritus Christi cognoscitur. Nā qui spiritu Dei agitur, is haud dubiè dilectionis & sobrietatis incrementa sentit. Verùm Enthusiasmos iactās, adeoq; inanis gloriæ cupiditate laborans, frustra de spiritu Christi gloriatur.

Non igitur te pudeat testimonij domini nostri, neq; mei, qui sum uinctus ipsius, sed esto particeps afflictionum Euangelij, secundum potentiam Dei,

Illatio

T I M O T H.

Illatio est exhortatoria extracta ex superiori propositione, Et continet tres hypotheses. Quarum Prima est, ne pudeat Timotheum testimonij Christi, hoc est, prædicationis de Christo crucifixo. Neq; enim hoc testimonium tantum perhibetur de homine mortuo (Quemadmodum tum impij obiecerunt Christianis) sed multò plura continet hoc testimonium, nimirum quod CHRISTVS ille crucifixus, sit naturalis filius DEI verus homo factus, in carne passus, & resuscitatus in salutem credentium. Huius illos pudet qui propter externam Ecclesiæ formam & crucem, abijciunt confessionem, quiq; constanter non tuentur veritatem Evangelij. Secunda, nec te pudeat mei, qui sum vinctus, non quidem meo, sed Christi nomine. Tertia, esto particeps afflictionum Evangelij, hoc est, Tu quoq; patere pro Evangelij confessione, & testimonio Christi. Vocat autem afflictiones Evangelij, eò quod crux comes sit confessionis Evangelij. Verum quod addit, secundum potentiam Dei, rationis loco adiectum esse videtur, vt consonet cum illo ad Roman. i. Non me pudet Evangelij CHRISTI. Est enim potentia Dei in salutem
omni

EPIST. II. AD

omni credenti. Ex hoc loco doctrinam, admonitionem & consolationem petamus. Doctrinam, quòd crux sit comes confessionis Euangelij. Vnde ex contrario sequitur, non esse ministris Euangelij expectandas delicias in hoc mundo. Admonitionem, quòd sub cruce constitutos, ad potentiam Dei respicere oporteat. Consolationem deniq; ex eo, quòd potens ille Deus suos sit olim potenter liberaturus, omnibus eorum hostibus prostratis.

Qui nos saluauit,

Aetiologia est, quasi dicat: Deus saluabit nos, idq; æterna salute. Fieri igitur non potest, quin in præsentibus afflictionibus nobis sit adfuturus, nosq; ab omnibus aduersis erepturus.

Et uocatione sancta uocauit, non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum, & gratiam datam nobis in Christo Iesu, ante tempora æterna, Sed patefactam nunc, per illustrationum saluatoris nostri Iesu

T I M O T H.

Iesu Christi, qui aboleuit quædam mortem, illuminauit uerò uitam & incorruptibilitatem per Euangelium.

Modum salutis nostræ exponit, idque digressionis schemate, in quo modo duo sunt: Seiunctio noni causæ, & assignatio verarum causarum salutis. Seiungit opera nostra, adeoque omnia humana merita. Tamen si autem reddet Deus secundum opera, ut qui fecerunt bona, eant in uitam æternam, Qui uero mala, in ignem æternum; Tamen opera nequaquam inter causas salutis ponenda sunt, nam gratis saluati operari bene incipiunt. Vnde sequitur, bona opera non esse causas salutis, sed testimonia salutis iam partæ, adeoque fidei & timoris Dei. Porro inter causas ueras salutis primo loco ponit, non eam, quæ ordine rerum est prima, sed quæ nobis prima innotescit. Hæc est uocatio sancta, quæ cõtingit per prædicationem Euangelij, cui omnes iubemur credere, quotquot salutem expetimus. Vocatur autem uocatio hæc sancta à fine, quia ad sanctitatem nos uocat. Deinde ponit causam ordinè rerum primam



EPIST. II. AD

primam, sed quæ nobis ex vocatione reuelatur. Et hæc est proprium propositum Dei, quo antequam mundum conderet, decreuit saluos facere, quotquot in Christum essent credituri. Tertio, ponit gratiã, hoc est, ipsum beneficium, nempe reconciliationem ac salutem. Nam pro effectu hinc gratiam poni manifestè conuincit per ista loci. Quarto, addit fundamentum gratiæ, nimirum Christum, qui sua victima nobis hanc gratiam acquisiuit. Huius gratiæ tria sunt tempora, nempe, datæ, reuelatæ ac completæ. Data quidem est hæc gratia ante tempora æterna, hoc est, ante iacta fundamenta mundi, decreuit Deus saluare credentes in filium. Reuelata verò est per Christum, cum carne assumpta victima pro nobis factus est. Complebitur tandem hæc gratia, vbi vita & immortalitate post iudicium extremum donabimur. Porro cū addit, per Euangelium, significat eos fore huius salutis participes, qui Euangelium audiunt, ac illud fide recipiunt. Nihil enim prodest auditum verbum, nisi fide recipiatur. Quare duæ hinc causæ insinuantur, nimirum, instrumentum exhibens, quod est Euangelij prædicatio, & recipiens, videlicet fides ipsa. Hæc enim duo correlatiue se

T I M O T H.

uè se habent. Porro victimæ Christi efficacia his verbis exprimitur: Qui aboleuit mortem, & illuminauit vitam & immortalitatem, id est, regenerauit nos, vt uiuamus immortales. Hic obseruetur duplex antithesis. Prima est in verbis abolendi & illuminandi, aboletur mors, dum eius tyrannis superatur, illuminatur vita, quando ipsa euadit superior, seu instauratur, & redditur conspicua. Altera antithesis est, qua mors opponitur vitæ & incorruptibilitati. Quare mors significat synecdochicè cum ipsam mortem, tum omnia mala & nocumenta, cum mortis conditione imposita generi humano.

In quod positus sum ego preco & Apostolus, & doctor gentium.

Quò ministerium verbi pertinet, suo exemplo ostendit, nimirum eò, vt multi ad salutem per prædicationem Euangelij vocentur. Tres illæ voces, Preco, Apostolus, & Doctor eodem pertinent, nisi quòd prima significet prædicationem Euangelij non in angulis, sed palàm, quasi preconis

EPIST. II. AD

nis voce proponendam, iuxta illud: Ite in mundum vniuersum, & κηρύξατε, id est, proclamate Euangelium omni creaturæ. Secunda vox commendat officium, atq; adeò ipsum Euangelium. Nam si is prece fit Apostolus Dei, tanquam Deus ipse audiendus est, atq; ipsum Euangelium decretum Dei immutabile iudicandum. Tertia vox significat finem Apostolatus Pauli, nimirum quod gentibus sit destinatus apostolus & doctor gentium. Vnde duo colligere promptum est, Vnum, quod gentes ignaræ sint Euangelij, priusquam docentium vocem audiant. Alterum, quòd salus ad gentes pertineat, modò Euangelium fide recipere velint.

Propter quam causam & hæc patior, sed non erubescō.

Suo exemplo Timotheum erigit Paulus, duo discipulo commendans: videlicet, vt & forti sit animo in ferenda cruce, & ne frangatur contumelijs, quas nomine Euangelij ferre contingit. Hæc quisq; sibi tempore persecutionis ob Euangelium applicet,

Noui enim cui credidi & per
sua

TIMOTH.

sus sum, quòd potens sit depositum meum seruare in illum diem.

Ratio à fiducia certæ liberationis ac defensionis diuinæ. Depositum vocatum cum dona sibi collata ex gratia, tum officium prædicandi: quorum illa propria, hoc aliorum salutis deseruit. Significat eos depositum hoc amittere, quos pudet Euangelij, & qui in persecutione abijciunt confessionem.

Formam habe sanorum sermonum, quos à me audisti in fide & caritate, quæ est in Christo Iesu.

Fluit & hoc præceptum à superioribus. Estq; valde vtile ministro Euangelij certam docendi rationem, seu methodum tenere, ex quo fit, vt & ipse promptius docere, & alius facilius discere possit. Est autem forma sanorum sermonum ipsa orationis figura seu docendi ratio. Vt enim sanitas verborum ad substantiam doctrinæ: Ita forma ad docendi modum pertinet, Et quia hîc plurimum nocere solet ca-

N ptatio

EPIST. II. AD

pratio nouitatis & auræ popularis, iubet
 vt Timotheus se imitetur, ac regulam ei
 præscribit, nimirum, vt semper ad fidem
 & caritatem Christianam aspiciat Timo-
 theus: quarum illa facit, vt in gloriam
 Dei, hæc vt in ædificationem proximi sit
 intentus. Ex hoc proinde quatuor colli-
 gamus. Primum, sanam doctrinam tenen-
 dam esse, vnde fit, vt non solum impiam
 doctrinam, verum etiam frigidam quæsti-
 ones fugiamus. Secundum, certam ra-
 tionem docendi sectandam esse, quæ plu-
 rimum docilitatem iuuat. Tertium, eo-
 rum imitandum esse exemplum in do-
 ctrinæ forma, qui nos prudentia & docen-
 di dexteritate præcedunt, quæ res doctri-
 næ puritatem tuetur. Quartum, actio-
 num nostrarum regulam statuendam esse
 generalem, fidem & caritatem, ad quas cri-
 am ipsa doctrina tota tanquam ad prima-
 ria capita referenda est.

Honestum depositum serua
 per Spiritum sanctum, qui ha-
 bitat in nobis.

Redit ad exhortationis caput, vt do-
 na Dei sibi collata tueatur Timotheus,
 quæ

T I M O T H.

quæ ideo depositi nomine exprimit, vt
Timotheus cogitet, vnde ea acceperit, in
quem finem, & quòd aliquando depositi
ratio reddenda sit. Verum ne prætendat
virium imbecillitatem, admonet de mo-
do seruandi, qui est per spiritum sanctum,
qui in sanctis habitat. Hic enim, dum reti-
neretur veris fidei exercitijs, vires suppedi-
rat, ne hostium importunitate superemur.
Hinc doctrina, admonitio & consolatio
petatur. Doctrina, quòd Spiritus sanctus
sit custos donorum nobis diuinitus colla-
torum. Admonitio, ne nostra negligentia
aut sceleribus efficiamus, vt tanto custode
vnà cum donis ipsis priuemur. Consola-
tio, quòd nostræ imbecillitati adsit opitul-
ator spiritus Dei, donec fidem ac diligen-
tiam in officio præstiterimus.

Nosti hoc quod auersati me
omnes fuerint, qui sunt in Asia,
de quorum numero est Phygel-
lus & Hermogenes.

Quarta huius capituli pars est, in qua
primum conqueritur de defectione mul-
torum à se, propter vincula, quæ Euange-

EPIST. II. AD

In causa sustinebat, qua querela Paulus vult Timotheum præmonere, ne istorum leuitate moueatur, sed potius suæ constantiæ imitetur exemplum. Duos nominat haud dubiè præ alijs magni nominis & existimationis, quos ideo nominatim ponit, ne defectione vel maximorum & celeberrimorum hominum frangamur, sed potius vt inuicti milites Christi in confessione perstemus, freti victoria ac triumpho Christi, qui nostram quoq; crucem breui glorioso commutabit triumpho.

Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quoniam am sepè me refocillauit, & de catena mea non erubuit, sed cum esset Romæ, quæsiuit me & inuenit.

Querelæ aduersus apostatas oportu-
nè subiungit precationem pro bene merito. Precationis propositio est, quod optet Onesiphoro misericordiam Dei. Ratio quod se ministrum Dei refocillauerit. Hinc discamus tria. Gratiitudinem rependere bene meritis, cum Paulo; officiosos esse er-

T I M O T H.

se erga sanctos cum Onesiphoro: & Deum orare, vt se, non solum ei, qui benefacit sanctis, verum etiam eius familiæ toti, misericordem exhibeat. Qui enim dederit discipulo in nomine discipuli haustum aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam, quæ quidem merces non est debita, sed ex gratia donatur, nam eam hîc Paulus misericordiam vocat.

Det enim Dominus, ut inueniat misericordiam apud Dominum in die illo, & quàm multa Ephesi ministrauerit, melius tu nosti.

Ex intimo cordis affectu precationem repetit, vnde nos monemur, vt vero affectu eos prosequamur, qui in ministros Euangelij humanitatis officia conferunt. Præterea notemus, defectores perpetuæ infamiæ nota dignos esse, pios verò nunquam interituris ornari laudibus. Vt enim Phygellus & Hermogenes infamia sua nobis innotuerunt: Ita Onesiphorus perpetua Ecclesiæ prædicatione est illustris.

N ; SE-

EPIST. II. AD

SECUNDVM CAPVT.

SVMMA SECVNDI CAPITIS.

Timotheum hortatur Paulus, vt confortetur in gratia, doctrinam syncceram alijs tradat, sit patiens instar inuicti militis Christi, respiciens ad triumphum Christi resurgentis, vnde & ipse fidem ac patientiam discat & alijs eandem commendet. Monet rursus de recta doctrina, pura vita, ac fugiendis contrarijs.

ORDO ET PARTES SECVNDI CAPITIS.

Hoc caput in tres partes, docendi causa distinguamus. Quarum prima est de constantia, qua vult Timotheum militis instar inuicti pugnare pro Euangelio. Secunda est de commendatione resurrectionis Christi, vnde extrahit admonitiones aliquot. Tertia est de recta doctrina pura & pacifica vita, Item de ijs quæ his sunt
con:

T I M O T H.

contraria. Atq; ita hoc caput partim est
προτρεπτικόν, partim ἀποτρεπτικόν, & to-
tum propositioni principali subseruit, tan-
quam hypotheses, quæ suæ thesi subijci-
untur.

EXEGESIS SECVNDI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Tu igitur fili mi, confortare
in gratia, quæ est in Christo Ie-
su.

Prima huius capituli pars ex superio-
ribus illata. Blanda hæc compellatio, qua
illum filium appellat, vim suavorij argu-
menti habet. Obtemperare enim ijs solent
homines, quos norunt piè erga se affici.
Vult igitur, vt quemadmodum Paulus
se patrem Timothei affectu & officio pa-
terno declarat: Ita Timotheus vicissim se
filium Dei imitatione exhibeat. Porro
confortari in gratia, est fidem & bonam
conscientiam retinendo, per vera pietatis
exercitia inuictum ac strenuum se declara-
re, implorando opem spiritus. Hanc gra-
tiam dicit esse in Christo, non solum ne
nostris viribus aut meritis eam ascriba-

N 4 mus



EPIST. II. AD

mus, verum etiam vt sciamus eius fore
participes, quotquot Christo nomina de-
derint vera fide. Vnde collige, quòd
quemadmodum illa gratia sit gratuita: Ita
nostra quoq; industria requiratur, ne gra-
tiam collatam sinamus extinguì.

Et quæ à me audisti per mul-
tos testes, hæc commenda fi-
delibus hominibus, qui idonei
erunt, ad alios etiam docendos.

Vt propagari possit sana doctrina eti-
am ad posteros, Timotheum hortatur, vt
scholam instituat, in qua tradat ihs, quos
intellexerit synceros, veram doctrinam.
Neq; vult vt Timotheus nouam doctri-
nam sectetur, sed vt à se acceptam & tra-
ditam fideliter alios doceat. Vnde nos di-
scamus, doctrinam Pauli adeoq; Prophe-
tica & Apostolica scripta fideliter discere,
eaq; posteris tradere, nugis sophisticis &
quæstionum inutilium labyrinthis reli-
ctis.

Tu igitur feras afflictiones
tanquam bonus miles Iesu Chri-
sti.

Quia

T I M O T H.

Quia ministerium docendi crux solet comitari, rursus ad patientiam hortatur, sumto argumento à connexis. Milites Christi debent Christum dominum sequi, in ferenda cruce. Tu igitur ut strenuus Christi miles inuictus persistito aduersus præsentia & imminencia mala. Egregia doctrina, admonitio & consolatio hinc peti potest. Doctrina, quòd ministri Evangelij in scholis & templis docentes, sunt Christi milites. Admonitio, quòd in ea militia ferenda sint dura. Consolatio, quòd pugnae euentus sit lætus futurus. Ut enim Christus post crucem & victoriam gloria potitur: Ita futurum est, ut quotquot sub ipsius vexillo militant, sint aliquando gloriosa victoriam potituri.

Nemo qui militat implicatur uitæ negocijs, ut ei qui se in militiam delegit, placeat.

Quis bonus Christi miles dicendus sit, à comparatis colligit. Milites mundani, donec in militia sunt, sua omnia negligunt, non domos ædificant, nec comparandis agrorum possessionibus vacant, non varijs se quæstuosarum mercaturarum gene-

N 5 ribus



EPIST. II. AD

ribus miscent, inò toti militiæ intenti sunt, vt suo imperatori fortiter præliando placeant. Igitur militem Christi bonum, suis quoque rebus priuatis neglectis vnicè Christo placere, fortiter pro veritate & doctrina, innocentia vitæ & patientia certando docet, id quod imprimis quidem verbi ministris, deinde cuiq; suo ordine (modo Christum ducem sequi velit) faciendum est.

Quod si quis etiam certauerit, non coronabitur, nisi legitime certauerit.

Aliud argumentum similiter à comparatis sumtum. Athletas enim mundanos cum Christi Athletis confert. Nullus athleta præmio donatur nisi legitime certauerit, & inuictus ad extremum perstiterit. Igitur nec Christianus athleta in curriculum prædicandi Euangeliij præmium à Christo reportabit, nisi victor euaserit, perseverando in certamine ad extremum vsq;. Vt igitur superiori comparatione labor: Ita hac nobis perseverantia commendatur. Huc pertinet nonum caput prioris ad Corinthios.

Labo-

TIMOTH.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.

Aliud argumentum à comparatis. Confert enim ministros Euangelij agricolis, qui fructum percipiunt nullum, priusquam in colendis agris maximos exhausserint labores. Quare nec ministri Euangelij fructum sperare vllum debent, nisi prius ritè suo fuerint perfuncti officio. Porro, sensus huius loci quem posui, ex peristasi textus colligitur, tamen si verba Pauli obscuriora sunt. Quare vox, primum, ad ordinem laboris & fructus pertinet. Primum scilicet, postquam laborauerit, fructum percipiet. Non enim ante laborem, sed post laborem fructum percipit agricola. Hic igitur sensus est, Laborare prius oportet agricolam, quàm fructus percipiat. Proinde laborantes ministri Euangelij consolentur se expectatione futuri fructus.

Intellige quæ dico.

Monet Paulus discipulum, vt perpetua cogitatione sit intētus suæ militiæ, vt & militiæ genere incitetur, & mercede proposita commoueat ad ferendos equo animo labores.

Det



EPIST. II. AD

Det enim tibi Dominus prudentiam in omnibus.

Quia non humanarum uirium est intelligere & satis cogitare quæ sunt Dei, addit precessionem, vnde discamus primum, Deum istius intelligentiæ autorem esse. Deinde etiam à Deo petendam esse. Postremò, quod velit eandem petentibus largiri. Nam eò particulam (enim) refero, intelligentiæ siquidem Timothei quandam partialem causam facit suam orationem Paulus. Vniuersalis particula restringenda est ad ea, quæ sunt salutis & officij Timothei.

Memento Iesum Christum exuscitatum à mortuis, ex semine Dauid, iuxta Euangelium meum.

Secunda capitis pars est, in qua monet, quò Timotheus respicere debeat, cum cruce premitur. Non enim mentis cogitatio in cruce hærebit, sed se in cœlum attollet, vbi Christus gloriosus victor sedet, postquam à mortuis resurrexit. Atq; ita hoc dictum Pauli proponit nobis non solum

T I M O T H.

lum Christi exemplum iam post crucem glorificati, verum etiam commune veluti pharmacum aduersus omnia dura in hoc mundo, Vt enim victor ipse suarum afflictionum iam gloria potitur æterna: Ita & illi quotquot eum sequuntur, gloriosè liberabuntur ab omnibus malis. Præter iam dicta, trium locorum confirmationem suppeditat nobis hoc Pauli dictum. Primum enim testatur Christum verum hominem ex semine Dauid, vnde Messias proditurus erat, quo confutatur Martion. Deinde, verè mortuum fuisse astruit. Postremò, gloriosè ac potenter à mortuis resurrexisse narrat. Cum his simul causas, effectus ac fidem, qua hæc nobis applicantur, cogitemus. Porrò Euangelium meum dicit, ratione ministerij, non dominij aut proprietatis, atq; ideo hoc adiecit, vt significaret circa quid potissimum versetur Euangelium.

In quo laboro usq; ad uincula, tanquam maleficus.

Suo exemplo hortatur Timotheum ad fortiter ferendam crucem, Euangelij causa. Ac tria commemorat, laboram suum



EPIST. II. AD
um propagando Euangelio, crucem &
cárceſes à Tyrannis mundi. Et quod om-
nium grauiffimum eſt, quòd audiat male-
ficus, ac ſi pollutus horrendis flagitijs,
ſupplicio eſſet digniſſimus, quod ſané mul-
tò grauius erat, quàm grauiffima in cor-
pore tormenta pati. Hoc exemplo Pauli,
miniſtri Euangelij tempore perſecutionis
ſe erigant.

**Sed ſermo Dei non eſt uin-
ctus.**

Conſolatio hæc eſt miniſtrorum Eu-
angelij, vt ut ipſi uinciuntur, curſus tamen
Euangelij non impeditur, Imò Martyrum
ſanguis ueluti rigatio quædam eſt, vnde
ſemen Euangelij latiùs ſpargitur, fructum-
que vberioreſe profert. Nam piorum cru-
enta cõfeſſio animũ reddit infirmioribus.

**Quamobrem omnia tolero
propter electos, ut & ipſi ſalu-
tem conſequantur, quæ eſt in
Chriſto Ieſu, cum gloria eterna.**

Argumentum ab vtili ſeu effectu cru-
cis Pauli. Crux mea electis in ſalutem ce-
dit, dum inde confirmantur de veritate
Euangelij. Igitur libenter eam fero. Salutis
& glo-

T I M O T H.

& gloriæ æternæ meminit, vt eò respicientes, crucem fortiori animo feramus, eum gloria sit æterna, & crux ad breue admodum tempus duratura sit. Porrò, electos vocat ab euentu, quotquot fide Christum apprehendunt, & vsq; ad finem perseuerant in eadem fide. Ita enim statuit Pater, priusquam mundum conderet, quòd vellet in Christo dilecto saluare credentes, ad Ephes. i.

Fidelis est sermo, nam si commorimur, etiam unà uiuemus, si sustinemus, etiam simul regnabimus.

Aliud argumentum ab utili. Verum quia à sensu & iudicio carnis abhorret, exordiolo utitur, quo fidem dicendis conciliat, inquit: Fidelis est sermo, ac si diceret: Quicquid in contrarium caro sentiat aut iudicet, verum tamen esse oportet, quòd Deus ordinauerat, nimirum, vt qui cum Filio ipsius glorificandi sunt olim, hîc eius quoq; imaginem gerant, in cruce & afflictionibus, sicuti copiosius ad Roman. 8. dicitur. Proinde hinc tria colligamus, Primum, confirmationem doctrinæ



EPIST. II. AD

Strinæ de necessitate prædestinationis . Ita enim Deus ordinavit, vt per mortem & varias afflictiones vitam adeamus, & per patientiam regnum Christi ingrediamur. Verùm quia dicitur, Si commorimur, non s̄ paranda est crux nostra à Christo. Multi enim affliguntur & moriuntur, vt hæretici, impij & prophani homines, sed non cum Christo moriuntur, Quia nec cum illo causam communem habent, nec in illo sunt, vt membra per veram fidem in ipsum. Secundum, Admonitionem de societate nostri cum Christo, qui dum patimur & affligimur, ipsum quodammodo habeamus socium, quemadmodũ & in Psalmo dicitur: Tecum sum in tribulatione. Tertium, consolationem summam in cruce, quæ enim quæso consolatio maior esse potest, quàm in cruce quodammodo certificari de vitæ Christi & regni ipsius communione?

Si negamus, ille quoque negabit.

Argumentum ab incommodo & poena defectionis à Christo, & respicit ad conuersionem Matth. 10. Quisquis negauerit me coram

T I M O T H.

coram hominibus, negabo ipsum etiã ego
coram Patre meo in cœlis. Proponat pro-
inde sibi quisq; ab vna parte fructum con-
fessionis Christi & crucis pro ipsius veri-
tate impositæ, ab altera horrendum sup-
plicium, quod defectõribus referuatur,
postquam eos Dominus negauerit coram
Patre cœlesti.

Si increduli sumus, ille fides
lis manet, negare seipsum non
potest.

Hoc pertinet ad explicationem pro-
ximi argumenti de pœna defectõnis, &
est sensus, Si nos per incredulitatem nega-
uerimus Dominum, ille verè nos quoq;
negabit. Nam constans & fidelis est in suis
dictis. Non potest seipsum, qui sua voce
dixerat, Qui negauerit me, negabo & ip-
sum ego, Matth. 10. Luc. 9. Marci 8. atq; ita
exaggerat proximum argumentum, vt
omnem ignauiam nobis excutiat.

Hæc admone constans co-
ram Domino, ne uerbis decep-
tent, ad nullam utilitatem, ad
subuersionem audientium.

O Con-



EPIST. II. AD

Conclusio est proximæ exhortationis, imò omnium præcedentium, quæ particula (hæc) repetit & quasi in memoriam reuocat, ac simul duo facit, primum, monet officium Episcopi esse, hæc serio inculcare auditoribus, deinde quia nihil magis nocet sanæ doctrinæ, quàm λογomαχία, ex quibus dissidia & opinionum varietas nascuntur, contestatur Timotheum coram Deo, ne certaminibus verborum vllum locum relinquat, quæ vt nemini profunt: ita multos subuertunt, & à simplici veritate abducunt.

Stude teipsum probatum exhibere Deo.

Tertia pars capituli, in qua primum statum Epistolæ repetit, Sed miro artificio, non enim simpliciter hortatur, sed scopum Timotheo præfigit, quo omnes suas actiones referre debeat, modo rectè velit fungi suo officio. Hic sanè scopus omnibus p̄is propositus esse debet, vt Deo probatos sese exhibeant, id quod tum fit, quando fidem & conscientiam bonam retinentes rectè commisso funguntur munere.

Operarium non erubescendum.

Par-

Partitione explicat, quod dixit, ac primum vult Timotheum operarium esse. Est enim Episcopi munus, operari, non ociosè delitias sectari. Quod autem addit epitheton (non erubescendum) vim suavorij argumenti habet, ac si dicat: Meritò erubescere debet, quisquis in tam sancto munere non facit officium, Tu igitur ita fungere officio, ne te pudeat neglecti officij coram Deo.

Rectè secantem sermonem veritatis.

Definitio est officij Episcopi. Is .n. demum verus Episcopus est, qui rectè nouit secare sermonem veritatis, non qui nugis & inanib. delectatur quæstionibus, quales sunt Romanenses Episcopi, qui abiecto sermone veritatis, id est, vero Dei verbo, quod veritatis titulum κατ' Ἔξοχὴν sibi vendicat, nugas ingerunt auditoribus. Porrò, forma hæc loquendi symbolica est, & à lege sumta, vbi Sacerdotum officium fuit secare victimas, vt quædam partes Deo, quædam Sacerdotibus & Leuitis cederent. Vult ergo vt minister Euangelij pro ratione auditorū adhibeat doctrinam,

EPIST. II. AD
consolationem, minas & exhortationes, vt
omnia fiant ad ædificationem.

**Prophanas autem uocum
inanitates deuita.**

Vult Paulus, ut doctrina pietatis est
simplex: Ita quoq; dicendi genus mode-
stum & graue esse. Non vult ministrum
Euangelij inani strepere verborum pom-
pa, à qua ambitio abesse non potest, Vnde
disputationes haud raro inutiles nascun-
tur. Vetus interpres vocum nouitates ver-
tit, vnde *καυνοφωρία* eum legisse apparet,
quemadmodum & Chrysostomus legit.
Atq; ita sensus hic erit: Certam tenendam
esse docendi formam, non inuehentos in
Ecclesiam novos loquendi modos, qui
semper aliquid incommodi secum ha-
bent.

**Ad maiorem enim profici-
ent impietatem.**

Ratio proximæ exhortationis à fru-
ctu seu effectu pomposæ & arrogantis ora-
tionis sumta. Nam qui assuefaciunt se ina-
nitatibus vocum, paulatim magis ac ma-
gis discedentes à veritate, in impietatem
tandem præcipitantur.

Et ser-

T I M O T H.

Et sermo eorum ueluti cancer pascionem habebit.

Aetiologia, seu causæ redditio est à comparatis sumta. Quemadmodum cancer morbus serpit & paulatim depascit contiguas partes, nec finem facit, nisi homine extincto: Ita affectatio inanitatis uocum paulatim incrementum sumit, donec hominem prorsus in impietatem impulerit.

Quorum de numero est Hymenæus & Philetus, qui circa ueritatem aberrarunt, dicentes resurrectionem iam esse factam, & subuertunt quorundam fidem.

Iam exemplo & experientia idem confirmat, ac duos nominat præ alijs insignes, qui sua petulantia in errores contra fundamentum inciderunt, Vnde nos admonemur, ut cautiore simus, cum in doctrina tum in moribus.

Firmum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum
O 3 hoc,



EPIST. II. AD

hoc, Nouit Dominus qui sunt
fui.

Consolatur pios aduersus scandalum
defectionis, argumento à certitudine salu-
tis credentium, & à prouidentia Dei sum-
to, qua salutem suorum veluti sigillo quo-
dam ob signauerat, vt firma stet eorum sa-
lus. Fundamentum Dei, est promissio Dei,
de salute per Christum, fide apprehensa,
super ea enim nostra salus extracta est. Si-
gilli nomine argumentum à regijs obfig-
nationibus significatur, quæ cum certæ &
immotæ esse debent, multò magis erit
immota Dei promissio sanguine Filij ob-
signata. In verbo, NOUIT, metalepsis he-
braica est. Nam perinde valet, ac si dixisset,
Curam habet Dominus suorum, ac tue-
tur, vt in illo Psalmi: Nouit Dominus
viam iustorum, & iter impiorum peribit.
Vbi ex antithesi, quid verbum, Nouit, si-
gnificet, satis apertum est. Nouit proinde
noticia discretionis & approbationis. Ali-
às dici potest duplicem noticiam Dei esse,
Vnam, qua omnia nouit, & omnium est
conditor: Aliam salutarem, quæ est pecu-
liaris ipsius prouidentia, qua Ecclesiam
suam, adeoq; singula ipsius membra fouet
& tuetur. Et

T I M O T H.

Et discedat ab iniusticia, qui
cunq; inuocat nomen Christi.

Generalis hortatio est à superiori per
contrarium extracta. Non vult Hypo-
criticam religionis professionem, sed seri-
um pietatis studium requirit ab ijs, qui
Christo nomina dederunt. Porrò Chri-
stianum hominem designauit à coniu-
ctis. Nam qui verè in Christum credit, in-
uocare nomen Domini non desinit. Vnde
nos admoneamur, seriè pœnitentiæ ac stu-
dij pietatis cum vera nominis Dei inuo-
catione.

Cæterum in magna domo
non solum sunt uasa aurea &
argentea, sed & lignea & ficti-
lia, & quædam quidem in ho-
norem, quædam autem in con-
tumeliam.

Ne quis miretur, cur tot sint in mun-
do mali, à minore confirmat, secus euenire
non posse. In magna domo non sunt om-
nia eiusdem loci, precij aut honoris. Igitur
nec mirum esse debet, si in vasto hoc mun-
do aut Ecclesia visibili plurimi sunt pra-

○ 4 ui.



EPIST. II. AD

vi. Quare potius paucorum virtus, quam multorum prauitas imitanda proponatur. Pertinet igitur hoc dictum eò, vt non turbemur, si videamus bonis malos in mundo, aut etiam in Ecclesia Christi visibili admixtos esse. Basilius homilia nona, vasorum significationes eleganter in hanc sententiam exprimit, Huiuscemodi, inquit, materijs voluntas cuiusq; comparatur. Nam vas aureum is est, qui mente moribusq; simplex, & sine dolo est. Argentum item, qui illo paulò est inferior, dignitatis ac precij æstimatione. Testaceum est ac figulinum qui terrestria sapit, ac frangi conteriq; sit aptus. Ligneum qui per peccatum facile sordet & igni æterno materiam præbet. Sic enim iræ vas est, qui omnem in se Diaboli operationem, quasi vas quoddam suscepit, & propter factorem, quem habet ex corruptione, ad nullum vsum aptari possit, sed dignus est qui pereat. Hactenus Basilius.

Si quis ergo emundauerit se ab his, erit uas in honorem sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.

Per-

T I M O T H.

Perſiſtens in eadem ſimilitudine, ſuaſorium infert argumentum ab utili, ſeu fructu ſtudij pietatis ſumtum. Qui enim pietati ſtudet, & emundat ſe à vicijſ, erit vas honori deſtinatum, & utile patriſamilias Chriſto ad omne bonum opus. Verum ex hoc loco non ita aſſeritur viſ liberi arbitrij, ac ſi quid poſſet ſine gratia. Nam hîc Paulus ait de pijs, qui iam in gratia ſunt, audiunt verbum, in quo efficaſ eſt Spiritus ſanctus, non repugnantibus, ſed aſſentientibus verbo & implorantibus opem diuinam. Nam poteſt voluntas ſe opponere verbo & Spiritui ſancto, Act. 7. Quod dum fit, homo ſua perit culpa. Quare præſens exhortatio eò pertinet, vt alacri voluntate præſtemus pro viribus, id quod verbum præſcribit, & ad quod ſpiritus intus agit.

Iuueniles autem concupiſcentias fuge.

Quia admonuit prophanas καὶνοφω-
vicijs vitandas eſſe, Nunc radices earum vult auelli, nimirum iuueniles concupiſcentias, hoc eſt, impetus, ad quos iuuenilis ætas propenſior eſt. Nam diſſentionibus ortis, non ita facile iuuenes ſe reprimunt,

O 5



EPIST. II. AD

munt, quin sæpius erumpant extra metam modestiæ & grauitatis. Non igitur hoc loco propensionem ad illecebras intelligo, sed potius quosuis impetus, vnde fit vt non seruetur modus in rebus agendis. Requirit igitur in Episcopo grauitatem senilem ac modestiam, ne quid contra decorum agat,

Sectare autem iusticiam, si-
dem, dilectionem, pacem, cum
inuocantibus dominum ex pu-
ro corde.

Has quatuor virtutes iuuenilibus concupiscentiis opponit, in quibus dum se homo exercet, concupiscentiæ malo minimè cedit. Et addit argumentum ab exemplo, dicens, Cum omnibus inuocantibus Dominum ex puro corde, ac si dicat: Nemo potest Dominum inuocare, nisi ex corde fide purificato, quod tamen omnibus incumbit, qui Christum Dominum agnoscunt, igitur concupiscentia cor contaminans seriò fugienda. Porro virtutes, quas hîc enumerat, ad secundam tabulam referri debent.

Stul

**Stultas & ineruditas quæ-
stiones uita, sciens quod genera-
rant pugnas.**

Pertinet & hæc exhortatio ad sco-
pum, & veluti hypothesis suæ thesi subij-
citur: Vult Episcopum fugere stultas (id
est, extra verbum in humano cerebro na-
tas) & ineruditas (id est, nihil ad pietatem
conferentes) quæstiones. Huius exhorta-
tionis rationem ab effectu petit, cum ait,
huiusmodi quæstiones generare pugnas,
quæ omnibus pijs fugiendæ sunt,

**Seruum enim Domini non
oportet pugnare.**

Aetiologia est à repugnantibus. Nam
seruum Domini esse, & sectari pugnas, re-
pugnant. Dominus enim suos ad pacem
vocat, non tamen his verbis efficitur, quin
liceat pijs doctoribus Ecclesiæ, se oppone-
re disputando & scribendo hæreticis seu
corruptoribus doctrinæ cœlestis. Nam hoc
suprà inter munera Episcopi numerauit
Apostolus, ac Christus ipse, Prophetæ &
Apostoli se opposuerunt falsa docentibus,
Proinde petulantia ac libido, inanes quæ-
stiones



EPIST. II. AD

stiones ventilandi prohibetur, non autem
tuendi veritatem.

Sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos, cum mansuetudine corripientem contradicentes.

Per antithesin describit Episcopum, ac requirit virtutes contentionis studio contrarias. Et quia sæpè agendum est cum aduersarijs, requirit in Episcopo patientiam & mansuetudinem, ne quid committat seruo Domini indignum. Hinc æstima quàm vanè se seruos Dei hodie gloriantur, qui contumeliosis scriptis se inuicem proscindunt, ac Thrasonica ambitione Ecclesiæ tranquillitatem turbant. Proinde meminerimus, si modo Dei serui esse velimus, patientiæ & mansuetudinis, aliarumque virtutum, quas hîc & alibi in Episcopo requirit Apostolus.

Si quando det eis Deus poenitentiam in agnitionem veritatis, & respiscant à Diaboli laqueo,

TIMOTH.

quo, captiui ab eo ad ipsius uoluntatem.

Finem addit, cur velit aduersarios cum mansuetudine corripi, nimirum, ut mansuetudine corripientis resipiscant ab errore ac veritatem amplectantur. Tametsi hic sensus verborum Pauli simplicissimus est, multa tamen orationis formula continet, quæ argumenta periculi contradictionis exhibent. Primum enim significat quàm periculosum sit opinionibus & contradictionibus in Ecclesia Dei ludere. Difficulus enim tales ad sanam mentem reuocantur, quod significat voce μήποτε, quæ addubitantis particula, ac incertis ac dubijs proponitur rebus. Admoneamur igitur nos cum timore & summa religione adytum verbi Dei intrare, caueamusq; ne nostris impuris cogitationibus & ineptis quæstionibus, contaminemus sacrarium Dei. Deinde monet eos sine pœnitentia viuere, qui contradicendi morbo laborant. Nam pœnitentiæ initium est veritatis agnitio. Tertio, significat eosdem veluti insanos siue ebrios esse, ut qui mente erroribus ebria dediti, opiniones cumulent, ac quæstionibus inutilibus oblectentur.



EPIST. II. AD

tur, Quartò, Hæreticam doctrinam ac contradicendi studium, laqueum Diaboli esse definit, à quo difficulter se expediet, qui aliquandiu eo constrictus fuit. Quintò, Diaboli voluntatem facere eos testatur, qui contradictionibus & pugnis student. Cum enim Diabolus abolere non possit verbum, vt illud falsis opinionibus & quæstionum labyrinthis inuoluat, totus incumbit.

TER TIVM
CAPVT.

SVMMA TERTII
CAPITIS.

CVM extremis temporibus multi scelerati futuri sint, sua aliquando laturi supplicia, Tu me in vita & in cruce, quæ omnibus pijs communis est, sequere, persistens in eis, quæ didicisti, sciens scripturam in qua es eruditus, omnia quæ sunt salutis, plenè continere.

ORDO TERTII
CAPITIS.

Hoc

T I M O T H.

HOc caput in quatuor diuidamus partes. Quarum prima sit, prædictio malitiæ hominum grassaturæ postremis temporibus. Secunda, Hortatio vt Paulum in doctrina, vita & patientia imitetur Timotheus. Tertia, Hortatio ad constantiam in doctrina, quam didicerat. Quarta, Indicatio vsus & finis scripturæ sanctæ. Græci in duo κεφάλαια hoc caput secant, quorum prius est prædictio malitiæ grassaturæ inter homines postremis temporibus. Posterius est exhortatio, ad quod quidem caput, tametsi reliqua quæ consequuntur pertinent: Distinxi tamen in plura membra, vt apertius omnia ante oculos ponerem. Prima pars ad demonstratiuum, reliquæ ad genus suasorium pertinent.

**EXEGESIS TERTII
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.**

**Hoc autem scito, in extremis
temporibus instabunt tempora
periculosa.**

Hæc prima est huius capituli pars,
nempe prædictio malitiæ hominum grassaturæ



EPIST. II. AD

satura in mundo, atq; adeo in externa Ec-
 clesiae societate. Huius praedictionis haec
 fuit occasio. Hortabatur Timotheum Pau-
 lus ad constantiam, ne cederet malis, qui-
 bus cum conflictabatur, & quia graue ad-
 modum videbatur, adeo multos malos in
 Ecclesia existere, cum quibus viuendum
 esset, proponit ei conditionem status Ec-
 clesiae Christi, (nam tempus extremum,
 vniuersum Ecclesiae Christianae statum,
 inde vsq; a Christo exhibitum ad consum-
 mationem seculi, significat, ita tamen, vt
 malitia, de qua loquitur, subinde maiores
 vires sumat, & cum tempore crescat, vsq;
 ad extremum diem) vt communi Eccle-
 siae sorte se consoletur Timotheus, & non
 frangatur animo propter multorum defe-
 ctionem ab Euangelio, & propter scelera
 quibus multi erunt obnoxij, qui Christia-
 num nomen praetendent. Ex hoc loco pri-
 mum colligamus, qualis sit futurus status
 Ecclesiae in hoc mundo vsq; ad finem, ni-
 mirum, turbulentus & inquietus ob ho-
 minum malitiam. Deinde quod falso
 Anabaptistae polliceantur Ecclesiae Christi
 tranquillitatem multorum annorum an-
 te iudicium, omnibus vicijis profligatis.
 Praeterea quod futuri ministri Euangelij,
 atq;

T I M O T H.

atq; adeò omnes pñ, debeant se hac prædicatione munire aduersus scandala defectio- nis, maliciæ hominum & crucis piorum.


Erunt enim homines.

Ratio propositionis à coniunctis. Tempus enim in se non erit malum, sed maliciæ appellationem ab hominibus in eo uiuentibus mutuabitur.

Sui amantes.

Græcè *Εὐλαστοί*, qui iusti ratione neglecta, sibi indulgent & ignoscunt omnia. De hoc vicio Plato eleganter in hunc modum, libro 5. de legibus scribit: Omnium uerò maximum quiddam malum in multorum hominum animis innatum, cuius quidem, cum faciliè sibi ignoscunt, remedium nullum excogitant. Etsi autem hoc dicere solent, quod natura sibi amicus quisq; est, recteq; est, id ita se habere, sed reuera nimius in seipsum amor, omnium peccatorum omnibus semper est causa, occæcatur quippe circa amatum, qui amat. Quapropter, qui se amat, cum seipsum magis, quàm veritatem honorandum putet, quod iustum, bonum, pulcrum sit, malum iudicat. Decet sanè eum, qui magnus vir futurus est, neq; seipsum neq; sua diligere,
P sed

*Nota
de φ.
αυρία.*



EPIST. II. A D

sed iusta semper, siue à seipso siue ab alio gerantur. Ex hoc ipso delicto, accedit omnibus, vt ignorantiam suam esse sapientiam opinentur. Hinc fit, vt quamuis nihil (vt ita dicam) sciamus, omnia tamen scire nos arbitremur. Cum vero nec alijs committamus facultatem agendi, quæ facere ignoramus, facientes ipsi errare compellimur. Quamobrem nimium suspensus amorem fugere quisq; debet, & meliores sequi, nullo rubore verecundiæ impeditus. Hactenus Plato. Paulus igitur animaduertens *Ὠλαυτία* omnium viciorum fontem esse, eam primo loco nominat. Deinde subiungit vicia, quæ veluti riuuli pestilentes à venenato fonte manant.

Auari, fastuosi, superbi, blasphemii, parentibus immorigerari, ingrati, impij.

Fastuosi, græcè *ἀλαζόνες*, sunt qui gloriantur & iactant se de his bonis, quæ non habent, seu qui cum iactantia quadam plura promittunt, quàm præstare possunt. Superbi *ὑπερήφανοι*, qui insolenter se alijs proponunt, & nimium ob sua bona extolluntur, Blasphemii *βλάσφημοι*, qui alijs male

TIMOTH.

maledicis verbis insidiantur, & student eorum famam lædere. Ingrati ἄχαριστοι, qui gratiam rependere benefactoribus non nouerunt. Impij græcè ἀνόστοι, sunt propriè qui religionem contemnunt, nam huius contrarium est ὀσιον, quod Plato partem iusticiæ facit, quæ circa curam deorum versatur.

Carentes affectu.

Græcè ἄσσυτοι, qui naturales affectus erga parentes, proles, cognatos atq; adeò omnes benemeritos deposuerunt. Nam σσυται sunt boni affectus, naturaliter hominibus à Deo insiti, vt sint quædam incitamenta ad gratitudinem præstandam benemeritis.

Nescij foederis.

Græcè ἄωοδοι, sunt implacabiles, qui offensi, nullo officio placari possunt, vt deponant odium aduersus eos, quos sibi nocuisse putant.

Calumniatores.

Hi cum Diabolo commune nomen habent, & sunt, qui recta aliorum dicta corrumpunt, deprauant & in alium sensum torquent.

P z Intem-

EPIST. II. AD
Intemperantes.

Hi sunt qui in nullis rebus mediocritatem seruare possunt, sed affectibus ducuntur. Vnde qui in cibo, potu, vestitu & in alijs rebus modum excedunt, ἀκρατῆς dicuntur. Huic vicio opponitur temperantia, quam Cicero definit virtutem esse, quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem sequamur, monet.

Immites .

Id est, duri & difficiles, nulla comitate præditi, adeò vt tota illorum vita abhorreat ab aliorum honesta consuetudine.

Negligentes bonorum.

Ἀειλάγαθοι græcè, hoc ad rem & personam referri potest, vt sint qui vel honestos homines & benemeritos de multis in nullo precio habent, imò contemnunt, vt vilia mancipia, vel qui rerum honestarum ratione non ducuntur, sed tantum suis obsequuntur affectibus.

Proditores.

Hi secreta aliorum, sola lædendi libidine, reuelant, homicidij malo obnoxij. Chrysostomus desertores amicitia & fidalitatis interpretatur.

Præci-

TIMOTH.
Præcipites.

Id est, qui sine iusta deliberatione, sine maturo consilio, temerè & præcipitanter res agendas aggrediuntur.

Inflati.


Id est, vani, qui sibi ipsi magni precij videntur homines. Chrysofomus exponit, contumacia pleni, hoc est, rebelles, qui nemini parere volunt.

Voluptatum amantes, potius quàm Dei.

Hoc est, habentes quidem aliquem timorem Dei, sed propter illum nolunt suas voluptates minui. Deum externè colunt, quatenus nihil suis discedat affectibus. Voluptas in genere est, quicquid homo facit libenter, aut patitur. Et quia duo sunt hominum genera, nempe pravi, & boni, qui diuersis oblectantur studijs, duo quoque voluptatū genera emergunt, vnum quidem bonum, Alterum verò malum. Prætereà quia homo constat corpore & animo, diuidi solet voluptas in corporis & animi voluptatem. De hac voluptate Hermes Pauli discipulus in hunc modum scribit; Omni homini voluptas est, quic-

Voluptas.

P 3 quid



EPIST. II. AD

quid libenter facit. Etenim iracundus, satisfaciens moribus suis, percipit voluptatem, & adulter, & ebriosus, & detractor, & mendax, & cupidus, & fraudator, & quicumque istis simile admittit, morbo suo parrens percipit ex ea re voluptatem. Hæ omnes dulcedines & voluptates noxiæ sunt servis Dei, propter has cruciantur homines & patiuntur pœnas. Sunt etiam voluptates hominibus salutare, multi enim opera bonitatis facientes, præcipiunt voluptatem dulcedine quadam virtutis tracti.

**Habentes formam pietatis,
cum uim eius negauerint.**

Hoc de hypocritis intelligendum est, qui simulant pietatem, cum nulla eius in corde sit efficacia.

Et istos auersare.

Hoc potissimum ad hypocritas referendum, quorum fraudes subiungit hisce verbis :

Ex eis enim sunt, qui subintrant familias, & captiuas ducunt mulierculas, peccatis oneratas,


T I M O T H.

ratas, quæ ducuntur concupiscentiis uarijs, semper discentes, nec unquam ad cognitionem ueritatis uenire ualentes.

Graphicè depingit hypocritarum artes, quibus mundum in errores pertrahunt, qui quoniam nôrunt facilem muliercularum in superstitionem lapsum, eas potissimum aggrediuntur. Verum mulierculæ oneratae peccatis, id est, mala concupiscentia, ducuntur uarijs concupiscentiis, ita nunc huic, nunc alijs doctrinæ subscribant. Vnde fit ut semper quidem discent, sed nunquam ad cognitionem ueritatis perueniant. Hic locus nos moneat, ne circumferamur quouis vento doctrinæ, néue quibusuis doctoribus credamus, sed Prophetis & Apostolicis acquiescamus scriptis, in quibus abundè traditum est, quod ad salutem nostram est necessarium.

Quemadmodum autem Iannes & Iambres restiterunt Moysi; Ita & hi resistunt ueritati,

P 4 hominibus



EPIST. II. AD

homines corrupti mente, repro-
bi circa fidem.

Ut ostendat eandem fortunam Eccle-
siæ perpetuo esse, ut cum aduersarijs bel-
lum gerat, allegat exemplum ex veteri hi-
storia de Moyse, qui dum cum Pharaone
ageret de dimissione populi Dei, habebat
magos qui sibi resisterent, quemadmo-
dum historia habet Exod. 7. Sed sicut vir-
ga Moysis deuorauit virgas magorum: Ita
mendacium hypocritarum Christi veritas
abolebit. Porro nomina istorum ma-
gorum, vel ex reuelatione singulari, vel ex
commentarijs patrum in Moysen, quæ
nunc interierunt, nouit Paulus. Duabus
autem notis Hypocritas describit. Pri-
mum, dicit eos corruptos mente esse, hoc
est, deprauato iudicio, ut qui scripturam
ad suum sensum torquere conentur. De-
inde dicit eos reprobos circa fidem esse,
hoc est, quemadmodum iudicant peruer-
sè: Ita malignè agunt, regulam fidei con-
temnentes.

Sed non proficient amplius.

Consolatio est, ac si diceret: Tamen si
sudent multum Hypocritæ, ut euertant
veritatem; Tamen in piorum cordibus in-
con-

T I M O T H.

conculsa manebit. Portæ enim inferorum non præualebunt aduersus eam.

Inspientia enim istorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.

Quemadmodum suprâ exemplo veteris historiæ fortunam communem Ecclesiæ indicauit : Ita nunc exemplo eodem cōsolationē confirmat. Nam quemadmodum Iannes & Iambres non potuerūt impedire suis magicis artibus, quò minus populus Dei incolumis è manibus Pharaonis euaderet : Ita nec nostri Hypocritæ, quantumuis infinitas artes excogitant, poterunt veritatem Dei abolere. Hac consolatione hodie quoq; ministri verbi, adeoq; omnes pñ se consolentur, dum vident, non solum manifestos hostes omnia tentare, vt Ecclesiam Christi subuertant, verum etiam domesticos tantum non cælum terræ miscere, vt Ecclesiæ statum perturbent, inuicta tamen vel inuictis omnibus hostibus manebit.

Tu autem affectatus es meam doctrinam, institutionem,

P s pro

EPIST. II. AD
propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones.

Secunda pars capituli, in qua hortatur Timotheum, ut se in doctrina, vita & cruce sequatur. Et est argumentum cum à facili, tum ab exemplo sumtum, ac si diceret: Tu me exemplum habes, tu doctrinam meam & crucem nosti, in his me, sicut haecenus, imitare.

Qualia mihi acciderunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quales persecutiones sustinui.

Loca nominat, in quibus præcipue dura sit passus, ut nominum indicatione integras historias ei in mentem reuocet.

Et ex omnibus me liberavit Dominus.

Sicut discipulum animauit ad crucem ferendam suo exemplo: Ita eodem rursus ipsum consolatur. Quemadmodum enim Paulus è periculis euasit, quando id Deo visum erat: Ita quoque spem præbet Timotheo, ut is quoque euadat, hoc est, non super-

TIMOTH.

peretur pressus cruce, ita vt abñciat confessionem.

Et omnes qui uolunt piè uiuere in Christo Iesu, persecutio-
nem patientur.

Hypothesin ad Thesin transfert, ac regulam generalem proponit, nimirum, quòd omnibus pñs in hoc mundo imminant varia mala, de quorum causis, lege copiosè Philippum in locis,

Mali autem homines & impostores proficient in peius, errantes & mittentes in errores.

Dixit de piorum fortuna in hoc mundo, additis multis rationibus, quib. hanc quoq; subñcit, sumtam à causa partiali (scilicet crucis) nempe à successu malorum, qui indies proficient in peius, pluresq; seducet, id quod præsens dies euidentissimè comprobatur. Non tamen pugnat hoc dictum cum superiore. Non proficient amplius. Illic enim de fine consilij eorum loquitur, qui est omnino veritatem abolere suis præstigijs & mendacijs, quod tamen minimè poterunt præstare. Hic vero de conatu

EPIST. II. AD

conatu agit, qui semper in deterius tendit, adeò vt non solum errent ipsi, verum etiam alijs errandi occasionem præbeant.

Tu autem mane in ijs, quæ didicisti & quæ credita sunt tibi.

Tertia pars capituli, in qua hortatur Timotheum, ne se sinat seduci ab ipsis impostoribus, & quomodo id fieri possit, ostendit, inquit: Mane in ijs, quæ didicisti, id est, perliste inuictus in doctrina sana, quam didiceras, & in ijs, quæ tibi concredita sunt.

Sciens à quo didiceras.

Hoc ad confirmationem pertinet, ac si diceret: A me didicisti qui Christi sum Apostolus, ac propterea doctrinam, quam ab ipso accepi, tibi concredidi. Quare si in ea doctrina manseris, tutus eris ab erroribus. Hinc nos quoque discamus magnificare doctrinam Apostoli, vt verè à Christo profectam, & in ea manere.

Et quod à pueritia sacras literas nouisti.

Aliud argumentum à connexis. Plurimum

T I M O T H.

rimum enim valet à teneris optimis quibusq; affuefacere. Nam iuxta dictū: Quo semel imbuta est, recens seruabit odorem, testa diu. Proinde Timotheus à pueritia sacrae lectioni assuetus, iam grandior factus, tenacius omnia tenet, vt non iam facile à veritate auelli possit. Hinc discant studiosi sacrae scripturae opponere iudicium Spiritus sancti, insulsis & temerarijs dictis eorum, qui teneram aetatem iugis potius, quam sacrorum librorum lectione occupari volunt. Quorum caecitas & malignum iudicium olim iustum luet supplicium.

Quae possunt eruditum te reddere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu.

Cur velit Timotheum scriptura contentum esse, exponit, nimirum, quod scriptura destinata sit saluti hominum, Ita tamen si ea quis erudiat, & salutis promissionem fide Christi apprehendat. Reliquae disciplinae ad praesentem vitam pertinent, quae quia scripturae cognitioni, vt opes Aegypticae veteri tabernaculo extruendo, seruiunt, illarum cognitio non est aspernanda, si modo vt famulae adhibeantur

EPIST. II. AD

tur ministerio scripturæ sacræ, quam so-
lam agnoscere reginam debent.

Omnis scriptura diuinitus
inspirata est, & utilis ad doctri-
nam, ad redargutionem, ad cor-
rectionem, ad institutionem,
quæ est in iusticia, ut integer sit
homo Dei, ad omne opus bo-
num apparatus.

Confirmat scripturam posse homi-
nem eruditum reddere ad salutem, sumto
argumento ab enumeratione sufficienti
eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, ac
simul commendat scripturam à causa effi-
ciente, usu & fine. Qui tres loci honesto &
utili subiiciuntur. Causa est, quod scriptu-
ra sit diuinitus inspirata. Nam Spiritus
Dei per sanctos Prophetas & Apostolos
locutus est. Hinc discamus summam reue-
rentiam deberi scripturæ sanctæ, ut quæ
ipsissima Dei vox sit.

Vsus quadruplex est. Primus, quòd
sit utilis ad doctrinam, nempe salutis, quæ
doctrina tametsi multiplex est, duo tamen
sunt eius capita præcipua, nimirum, fides
in Chri-

T I M O T H.

in Christum, & rectæ formandæ vitæ ratio. Ad hæc duo capita, Legis & Euangelij noticia pertinet. Secundus vsus, quod sit utilis ad redargutionem, græcè ἐλεγχον, hoc est, ad conuincendos aduersarios, & castigandos contumaces. Tertius vsus, quod faciat ad correctionē, græcè ἐπανόρθωσις, hoc est, ad erigendos lapsos & stabilios verbis, sacramentis & consolationibus. Quartus vsus, quod sit utilis ad institutionem, quæ est in iusticia, hoc est, ad sanctè pièq; viuendum. Continet enim scriptura perfectissimam viuendi regulam.

Finis est, vt integer sit homo Dei, ad omne bonum opus apparatus. Huc enim tota scriptura pertinet, vt homo integrè viuat in hoc mundo, quò tandem per Christum futuræ vitæ beatitudine fruatur in Deo. Ex hoc loco discamus, quod nihil desideretur in scriptura, quod ad perfectionem Christianam pertinere videatur. Proinde qui vnica scriptura, tanquam perfectionis Regula, contentus non est, is sciat se & in Deum contumeliosum esse, & propriæ salutis hostem.

Q V A R

EPIST. II. AD

QVARTVM CAPVT.

SVMMA QVARTI CAPITIS.

Obtectatur Apostolus Timotheum, vt sedulo faciat officium, significans suum exitum instare. Præcipit præterea, vt ad se veniat, & alia quædam familiaria ei iniungit. Narrat Alexandri ferrarij in sese maliciam, simul conquerens de defectione multorum. Tandem salutationibus & fausta imprecatione claudit Epistolam.

ORDO CAPITIS QVARTI.

SEx constituamus huius capituli partes, Prima sit obtestatio, vt Timotheus officium suum faciat. Secunda, significatio sui exitus iam instantis. Tertia, committit discipulo quædam priuata negocia. Quarta, reuelatio contumaciæ Alexandri. Quinta, significatio defectionis multorum à se

T I M O T H.

à se ob crucem. Sexta, salutationibus cum
imprecatione solita clauditur Epistola.

EXEGESIS QVARTI
CAPITIS, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Obtestor igitur ego coram
Deo & domino Iesu Christo,
qui iudicaturus est uiuos et mor-
tuos, in apparitione sua & re-
gno suo.

Prima pars capitís, vt Timotheus of-
ficium suum faciat, in cuius partis ingres-
su duo sunt obseruanda: Illatio & obtesta-
tio. Illationis nota ideo vtitur, vt scriptu-
ram, de qua in fine superioris capitís dixit,
cum prædicatione connectat. Vult qui-
dem Deus, vt vnusquisq; per se legat ac
meditetur scripturam. Vult hoc quoq; vt
ordinarium ministerium verbi, ac viuam
vocem ministrorum non contemnamus.
Hinc proinde admoneantur fideles, vt
cum legendo, tum audiendo proficiant.
Ita enim Dominus ordinauit. Obtestatio
eò pertinet, vt Timotheus cogitet, Deum
Q vindi-

EPIST. II. AD

vindicem fore, si in officio commissio sibi non præstiterit se fidelem. Iudicij, aduentus & regni Christi meminit Paulus, vt discipulum abducat à præsentî rerum facie, & tristi regni Christi hîc in terris forma, ad considerationem futuræ gloriæ, cuius participes erunt omnes, qui hîc in afflictionibus Christo obtemperant. Contrà verò qui Christum hîc securè contemnant, illic iudicis sententiæ subiacebunt. Hæc cum pñ omnes, tum præcipuè ministri Euangelij sibi accommodent, iudicium timeant, si fraudulenter & ignauè opus Domini fecerint. Contrà gloriam expectent, qui Christo ex fide obediunt, ac diligenter commissum officium faciant.

Prædica sermonem.

Græcè κήρυξον, id est, instar preconis palàm proclama Euangelium. Nam Euangelium κηρυγμα δόξης hîc sermonem nominat. Applicat igitur Timotheo mandatum Christi: Ite in mundum vniuersum, & proclamate Euangelium omni creaturæ, significans vniuersalem esse gratiæ promissionem, eiusq; omnes posse fieri participes, qui Euangelium amplectuntur.

Insta

T I M O T H.


Insta tempestiue, intempestiue.

Id est, vrge cum teipsum, ne quis locus relinquatur ignauia, tum populum, ne vanis mundi occupationibus abripiantur, idq; non solum tempestiue, id est, ordinario tempore & constitutis horis, verum etiam intempestiue, quouis tempore, nullis parcendo laboribus, quoties minister Euangelij sentiat se vel carnis ignauia cessare, vel videat auditores ad verbi regulam suos mores non componere. Hoc si suum officium esse perpenderent in timore Dei ministri Euangelij, Ecclesia Christi non tam varijs & horrendis plurimorum scelerum iactaretur procellis.

Argue, increpa, consolare.

Instandi modos recitat, arguendi sunt aduersarij, id est, conuincendi sunt sui erroris. Increpandi sunt desides, torpentes & carnis desiderijs indulgentes. Hortandi vel consolandi sunt resipiscentes & consolationibus fulciendi, ne desperent. Hic duo obseruentur. Primum, quanta sit nostra ignauia, qui in salutis cursu deficimus, nisi assidue stimulis obiurgationum incitemur.

Q 2 mur.



EPIST. II. AD

mur. Deinde, quòd non solum pastorum sit munus, quæ recta sunt, publicè docere, verum etiam priuatim doctrinam singulis, prout viderint necessarium esse, obiurgando, minando, consolando accommodare.

Cum omni tolerantia & doctrina.

Modum accommodandi redargutiones, increpationes & consolationes tradit. Primum, quantum ad personam ministri Euangelij attinet, requirit tolerantiam, qua fit, vt ista omnia prodire ex amico, placido & paterno animo videantur. Nam qui tyrannica asperitate irritant populi animos, absq; omni lenitatis condimento, illi sanè, vt superbix ac hostilis seueritatis notam non effugiunt: ita magis destrunt, quàm ædificant, vt interim taceam, quòd sacrilegè ministerium Dei contaminent. Deinde in consolationibus, increpationibus &c. requirit doctrinam, aliàs enim friuola sunt omnia. Si igitur redarguendus est aliquis, id fiat per doctrinam, hoc est, per verbum Dei, detegatur ac ostendatur ipsius error. Si increpandus quispiam, monstretur ex verbo increpationis

nis


T I M O T H.

nis fundamentum. Si consolatio adhibenda, ostendatur consolationis ratio ex verbo. Discant proinde ministri Euangelij tria ex hoc loco. Primum, quomodo seueritas lenitate commiscenda sit. Deinde, ne quenquam arguant, increpent, consolentur, nisi vel præcedente doctrina, vel statim subsequente, cuius doctrinæ accommodandæ gratia ista adhiberi debent. Tertio, vt pro varietate hominum hæc adhibeant. Alij enim alijs indigent stimulis.

Nam erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores ij, quibus pruriunt aures, & à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uerò conuertentur.

Rationem sumit à prauitate hominum, quæ ratio potissimum ad primum membrum referenda est. Respicit autem Paulus ad tenebras illas, quarum quædam nubeculæ cœperant se ostendere temporibus Apostolorum, sed postea collectæ sunt

Q 3 pau-



EPIST. II. AD

paulatim, donec Papæ, hoc est, tenebrarum regnum stabilitum est. Vbi in locum sanæ doctrinæ subierunt humanæ traditiones, & doctrinæ dæmoniorum de prohibitione coniugij, de inuocatione sanctorum, de interdicto ciborum, deq; plurimis alijs nugis, quibus sana doctrina partim obscurata, partim abolita est. Cuius causa indicatur ingenita malicia & concupiscentia hominum, qui pruriunt auribus, ac semper nouis fabulis oblectantur. Unde & tales doctores sibi coaceruant, qui sibi placentiâ prædicent, quod dum fit, veritas amittitur, ac fabulæ, hoc est, commenta humana, vana ac nihil nisi ad perniciem animarum facientiâ, succedunt.

Tu uero uigila in omnibus, perfer afflictiones, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple.


Opponit hominum leuitati diligentiam, ac constantiam Episcopi. Nam tum maximè laborare Episcopum decet, quando homines se à veritate auertere incipiunt. Primum hîc notandum est, quod cum diligentia Episcopi coniungat crucem,

T I M O T H.

cem. Nam pastores simul atq; suum officium gnauiter facere inceperint, crucem sentiunt suæ diligentia comitem. Nam ea est hominum proteruia & contumacia, quòd veritatem sustinere non velint. Obiurgati etenim vicissim obiurgant, admoniti contemnunt. Breuiter, pro sua libidine viuere cupiunt. Vnde pñs ministris seduloq; officium facientibus, haud exigua afflictio existit. Opus Euangelistæ in genere est Euangelium annunciare. In specie autem (vt ad Ephes. 4.) accipitur Euangelista pro eo, qui est inferior Apostolo quidem dignitatis gradu, Superior verò pastore, eiusdem quidem muneris cum Apostolo, sed disparis gradus & dignitatis. Non alligatus erat Euangelista certæ sedi vt pastor, sed vt Apostolus in varijs docebat locis, non immediatè à Christo, vt Apostolus vocatus, sed ab Apostolis ascitus in commune ministerium. Cum addit, ministerium tuum imple, omnes superiores exhortationes ad caput generale reuocat.

Ego enim iam immolor, & tempus meæ resolutionis iam instat.

Q 4 Secun-



EPIST. II. AD

Secunda huius capituli pars, quæ superioribus quidem, ut argumentum à tempore sumtum, annectitur, sequentibus vero connectitur, ut propositio significationis suæ mortis iam instantis, ac si diceret: Dum ego tecum communi fungor ministerio, habes me & constantiæ & doctrinæ exemplum. Sed iam meæ resolutionis tempus, ut ex hac vita discedam, instat, proinde opus est tibi maiori animi robore, ne post meum discessum, victus improbitate mundi, deficias. Atque ita viri præclari donis Dei præ alijs illustres inferioribus constantiæ ac aliarum virtutum incitamenta esse debent. Porro, oratio Pauli plura continet. Primum enim verbum immolandi, significat usum martyrii sanctorum, nimirum, quod illorum martyrium sit, & Deo gratum sacrificium, & hominibus quædam sanctio & doctrinæ obsignatio. Nam dum sancti Dei homines nulla tormenta fugiunt pro Euangelij confessione, fit ut alij infirmiores erigantur, ac maiorum constantia confirmati, Euangelium animosius tueantur. Præterea mortis periphrasis seu resolutionis vocabulum duo insinuat. Vnum, quod mors sit quædam resolutio, qua animus migrat à

cor-


T I M O T H.

corpore. Alterum, quod anima non pe-
reat cum corpore, sed sit superstes relicto
corpore. Ex hoc argumentum consolato-
rium colligamus, contra metum mortis.
Si enim mors non est interitus humanæ
naturæ, sed tantum resolutio animæ & cor-
poris, minus profectò metuenda est p̄ijs,
qui per mortem ad vitam immortalem ac
beatam transeunt.

**Bonum certamen certavi,
cursum consummaui, fidem ser-
uaui.**

Hæc pia gloriatio eò pertinet, vt Ti-
motheum suo exemplo excitet, ad strenuè
peragendum officium. Certamen bonum
vocat, cum cruce coniunctam prædicatio-
nem Euangelij, in qua non minus se stre-
nuum, quàm fortissimum decet athletam,
gessit, qui antea non quiescit, quàm ad me-
tam peruenerit. Vocat autem ideò bo-
num, cum quia in medio cursu non defe-
cerit, tum quia fidelis suo duci in doctrina
& fide persistens, ad finem vsq; peruene-
rit. Ex hoc loco tria colligamus. Primum,
quod prædicatio Euangelij certamini com-
paretur. Vnde ministri Euangelij discant,

Q 5 ocio



EPIST. II. AD

òcio & ignauia minimè indulgendum esse. Deinde, quòd frustra gloriatur, qui non perseuerauerit, donec metam attigerit, hoc est, vsq; ad mortem, fidelis suo duci permanens. Postremò, quod non secus in Domino gloriandum sit fideli ministro, cum iam vitæ suæ finis, quantumuis probrosus coram mundo, appropinquet, quàm cursori, qui iam metam assecutus est, imò eò magis, quò fuerit certamen gloriosius. Nam ex euentu de multis rebus, non ex præsentì earum statu iudicandum est.

Quod superest, reposita est mihi iusticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illa, iustus iudex.

De præmio sui certaminis & cursu agit. Parum enim esset strenuè currere, nisi post cursum & peractum certamen restaret certaminis & cursus præmium. Quare sibi coronam repositam ait à Deo iusto iudice, sibi reddendam in die illa, cum videlicet reddet vniciq; iuxta opera sua. Hic locus & alij similes loquuntur de præmijs bonorum operum, non de iustificatione, aut eius

TIMOTH.

eius causis. Quare Papistæ malignè agunt, dum hunc locum & similes ad euertendam gratuitam iustificationem detorquent. Est enim diligenter discrimen obseruandum inter testimonia, quæ de iustificationis causis agunt, & ea quæ de qualitate iustificatæ personæ, aut de compensatione afflictionum, seu remuneratione obedientiæ loquuntur.

Non solum mihi, sed etiam omnibus, qui diligunt aduentum eius.

Quod de se dixit, omnibus pijs applicat. Eadem enim est ratio æqualitatis in Deo. Infideles quidem abiicit, & punit æternis pœnis, Fideles verò recipit in gratiam, ac ornat præmijs, quibus eorum obedientiam compensat. Porro pios ab eorum perpetuo affectu designat. Fieri enim non potest, quin magno desiderio aduentum Domini expectet, quisquis verè statuat ipsum suum saluatorem esse. Sicuti contrà, qui Christo fide non est insitus, aut omnino contemnit aduentum Domini, aut totus exhorrescit ad eius mentionem. Hunc igitur affectum ex uera in Christum fide



EPIST. II. AD

fide concipiamus, vt nihil sit nobis in votis magis, quàm vt citissimè illum lætum videamus diem, in quo quicquid hîc senserimus afflictionum abundè compensabitur, æternæ beatitudinis fruitione.

Da operam, ut ad me uenias cito.

Tertia huius capituli pars est, quam supra quædam familiaria & priuata continere dixi, ac primum præcipit Timotheo, vt ad se veniat, idq; haud dubiè, non solum priuata causa, sed multò magis totius Ecclesiæ gratia. Plurimum enim prodest, magnorum hominum colloquijs interesse, in quibus de rebus magnis & admoneri diligentius, & doceri apertius possumus, quàm si vel eorum scripta plurima legerimus, vel etiam de ipsis multa audiuerimus. Hinc ergo discamus præstantium virorum collocutiones magnifacere & amare.

Demas enim me reliquit, amplexus hoc seculum, & profectus est Thessalonicam. Cresces in Galatiam, Titus in Dalma-

ma

TIMOTH.

matiam, Lucas est solus mecum.

Rationem cur Timotheum ad se vocat, reddit, nempe quod, alijs partim deficientibus ad suas Ecclesias, quarum ministri erant, opus habeat ipsius ministerio. Solus Demas cruci & molestijs, quas apud Paulum pati erat necesse, præposuit res mundi & priuata commoda. Reliqui autem à Paulo demissi ad sua ministeria, alij in alia loca discesserunt. Locus obseruandus, quod nemo sua præponens Euangelio ac rebus ad pietatem pertinentibus, possit Christo seruire.

Marcum assume & tecum adducito, est enim mihi utilis ad ministerium, Tychicum autem misi Ephesum.

Præcipit vt Marcum secum adducat, vt sibi ministret. Vnde colligitur, quod & superiores in Ecclesia possint vt inferiores ministerio, & quod inferiores maioribus reuerentiam & obsequium debeant.

Penulam, quam Troade reliqui apud Carpum, cum uenies affer,



EPIST. II. AD
affer, & libros, potissimum mem-
branas.

Tametsi per penulam quidam intel-
ligunt vestem, ad arcendas à corpore plu-
uias aptam: tamen quia vocabulum græ-
cum φαλόνη & vestem significat, & capsu-
lam in qua res conseruantur, malo in po-
steriori hac significatione vocabulum ac-
cipere, præsertim cum id præsentis loco &
conditioni Pauli videtur accommoda-
tius. Et Chrysostomus refert quosdam per
φαλόνη capsulam intelligere, in qua libri
Pauli repositi erant. Verum quia hoc pa-
rum refert, vtro modo accipiatur voca-
bulum, relinquatur in medium. Porro ex
eo quod petat libros sibi adferri, duo di-
scamus. Vnum, perpetuò in lectione &
meditatione scripturæ progrediendum es-
se. Nam si Paulus tantus apostolus lectione
librorum, iam senex & morti vicinus,
occupatus erat, quid nos facere decet, qui-
bus nulla ætas satis est ad verbum Dei
perdiscendum? Alterum, quod hoc Pau-
li dicto clarè refutentur Anabaptistæ, qui
à lectione scripturæ homines auocant, ad
suos Enthusiasmos ac reuelationes, quæ
sanè aliud non sunt, quàm meræ Diaboli
præ-

T I M O T H.

præstigiæ, quibus miseros homines in illorum perniciem fascinare student.

Alexander faber ferrarius multis me malis affecit.

Hæc relatio contumeliæ, qua Paulum affecit Alexander, quarta huius capituli pars est, constans quatuor membris, Narratione, imprecatione, hortatione & ratione. Narratio una propositione absolvitur. Alexander faber ferrarius, multis me malis affecit. Vnde primum ex querela Pauli colligamus, nihil illum grauius tulisse, quàm oppugnationem veritatis. Cuius exemplum omnes pios sequi decet. Deinde, ex facto Alexandri discamus, quantum malum Ecclesiæ Christi inferre possunt, qui ab Ecclesia deficiunt, vtut sunt ignaui & indocti. Præterea admoneamur hac querela Pauli & facto Alexandri, simul Ecclesiam cruci & calumnijs subiectam & expositam esse. Postremo, si quando contigerit à nobis deficere, quos antea pios iudicauimus, consolemur nos Pauli exēplo, qui simile fortunam expertus est.

Reddat illi Dominus iuxta facta ipsius,

Impre-



EPIST. II. AD

Imprecatio est, qua homini deploratæ malitiæ vindictam imprecatur, ne cursum euangelij impediatur. Quid? An hîc discamus à Paulo ijs imprecari mala, qui nos læserunt? Quomodo hoc cum præcepto Domini conuenit, qui iubet ut maledicentibus & inimicis beneficiamus? Diligenter hîc obseruandum est, vnde proficiatur hæc imprecatio, & quò tendat. Proficiscitur autem ex S. sancto, & ex zelo rectè composito, non ex aliqua perturbatione carnis, vt in ijs fit, qui ab alijs læsos se putant. Deinde, tendit in gloriam Dei, nam istam pestem cupit sublatam, quam iam certò cognouerat renunciassè agnitæ veritati, & peccasse in Spiritum sanctum, ideoq; nunc iusto Dei iudicio damnatum. Verum ne nos imitatione Pauli erremus, hæc tria tenenda sunt. Primum, ne abrepti amore nostri & priuatæ utilitatis respectu, proprias iniurias persequamur. Deinde ne rectum ordinem perturbemus, quod sanè fit, dum Dei gloriam asserendo, nostros affectus admiscemus. Tertio, ne aduersus quemlibet præcipites iudicio feramur, priusquam constiterit nobis de iudicio Dei. Nisi enim imprecationes nostræ cum iudicio Dei consentiant, viciosa & cul-

T I M O T H.

& culpandæ sunt, quales fuerunt discipulorum Domini imprecationes, quibus Dominus respondit, Nescitis cuius spiritus estis. Præstabit proinde, vt potius confugiamus ad preces pro omnibus hominibus, quàm vt vllis mala imprecemur, nisi id fiat cum conditione.


Quem & tu caue.

Hortatio est, vt Timotheus fugiat istum hominem scelerarum & deploratæ maliciæ. An ex hoc loco pastor discere debet, ægrotantes & laborantes oues fugere? An non tum maximè requiritur pastoris industria? Hic quoq; discernendum est inter hostes doctrinæ inemendabiles, & alios, de quibus adhuc aliqua emendationis spes est. Illi sanè vt pestes fugiendi sunt, hi obiurgatione & doctrina in viam, quantum fieri potest, sunt reuocandi.

Vehementer enim restitit sermonibus nostris.

Ratio cur velit Timotheum fugere Alexandrum, nimirum, quia malignè & maliciosè verbo Dei restitit. Quisquis igitur resistit veritati agnitæ, tanquam pestis fugiendus est.

R In pri-



EPIST. II. AD


In prima mea defensione nul-
lus mihi adfuit, sed omnes me
dereliquerunt, non illis impute-
tur. Dominus autem mihi asti-
tit, & confortauit me, ut per me
prædicatio impleatur, & audi-
ant omnes gentes, quod libera-
tus sum de ore leonis, & libe-
rabit me Dominus ab omni-
pere malo, & saluum faciet in
regnum suum cœleste, cui glo-
ria in secula seculorum, Amen.

Hæc querela de defectione fratrum à
Paulo, quinta pars huius capituli est, in qua
sunt particulae plures: quarum Prima est
querela desertionis, nempe, quod cum si-
steretur primum Neroni, desertus sit ab o-
mnibus. Graue sanè scelus fuit periclitan-
tem socium deserere. Vnde, quanta sit ho-
minum etiam sanctorum infirmitas, per-
secutionis potissimum tempore, significa-
tur quò nos cognita nostra infirmitate ore-
mus Deum, vt sicuti fidem dedit nobis ex
mera

T I M O T H.

mera gratia: Ita quoque fortitudinem animi in ferendis malis tempore persecutionis largiatur. Secunda, est Pauli votum seu oratio pro fratribus infirmis, qui se deseruerunt. Ita enim inquit: Ne illis impuretur. Hinc discamus & nos fratrum imbecillitatem boni consulere, eosque pijs nostris votis apud Deum potius iuuare, quod confirmentur, quam traducere apud homines, ut confundantur. Tertia, est commemoratio presentiae diuinæ in periculis: At Dominus, inquit, mihi assistit & confortauit me, id est, fiduciam auxit, & non permisit me cadere. Hinc discamus desertos ab hominibus, non deserì etiam à Deo, modo in ipso vera fide permanerint. Obseruandus est autem duplex modus presentiae Dei, atque adeo auxiliij diuini in periculis. Aliàs enim apertum praesidium praebet, quemadmodum in prima defensione Pauli factum est. Aliàs virtute spiritus sui assistit, ne malis urgentibus, victi deficiamus. Atque hoc pacto adfuit Paulo iam porrigenti carnifici caput amputandum. Quarta pars, finis presentiae Dei ac auxiliij diuini additur, cum inquit: Ut per me praedicatio expleretur, & audirent omnes gentes, Locus hic diligenter

R 2 obseru



EPIST. II. AD

obseruandus est. Nam quod in Paulo egit Deus, idem quoque in alijs fidei Euangelij ministris facit. Vult vt in medio hostium sua virtute diuina fulciantur, quò homines intelligant Dei negotium agi. Proinde aliàs potenter tuetur eos, aduersus hostium insultus, aliàs in medijs ærumnis & cruce astat, ac animum illis addit, ne propter periculorum magnitudinem despondeant animum. Quinta, commemoratio liberationis Pauli, ita enim inquit: Liberatus fui ex ore Leonis, id est, Neronis Tyranni. Hac loquutione duo indicat Paulus, magnitudinem periculi, & crudelitatem hostis potentissimi. Vnde nos discamus non propter magnitudinem periculorum, aut potentiam hostium, abijcere confessionem, sed potius cum Paulo voluntati Dei nos committere. Sexta, fiducia ex antea actis concepta de futura protectione & auxilio diuino. Et liberabit me (inquit) ab omni opere malo, & seruabit in regno. Ex hoc loco discamus, nos oportere ex prioribus beneficijs Dei concipere fiduciam de futuro ipsius auxilio. Deinde, vt in præsentibus periculis petamus à Deo, vt si non velit nos à præsentibus periculis eripere, saltem à malo opere nos custodiat,

T I M O T H.

custodiat, ne scilicet cruce pressi, abijciamus confessionem, aut aliquid fortibus Christi militibus indignum designemus.

Saluta Priscam & Aquilam,
& Onesiphori domum. Erastus
remāsit Corinthi, Trophimum
autem reliqui infirmum Meles-
ti, festina ante hyemem uenire.
Salutant te Eubulus & Pudes,
& Linus & Claudia, & fratres
omnes. Dominus Iesus Christus
cum spiritu tuo. Gratia uobiscum,
Amen.

Hæc sexta præsentis capituli pars est,
quæ nulla explanatione indiget. Saluta-
tiones Paulinæ in genere nobis pietatem
ac reuerentiam erga absentes commen-
dant, monentq; ut verbis, factis &
affectu studeamus ipsorum
commodo.

R 3 AR-



ARGVMENTVM
EPISTOLAE PAVLI
AD TITVM.



IN principio enarrationis sacrorum scriptorum, quatuor mihi ante omnia excutienda videntur, Primum, quisnam sit scripti autor. Secundum, quæ fuerit scribendi occasio, & quale scriptoris consilium. Tertium, quæ propositiones seu quæstiones principales, seu quis status, vnus ne an multiplex. Quartum, quis sit tractationis ordo seu quæ methodus. Hæc quatuor & nos in huius enarrationis initio quæramus. His enim dextrè explicatis, totum scriptum fiet apertius, vsusq; eiusdem magis se prodet.

AUTOR HVIVS
Epistola.

Paulus Apostolus, electum Dei organon, neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, verum Deum ac verum hominem, immediate vocatus ad Apostolatam, vt esset gentium potissimum doctor, autor est huius Epistolæ.

AD TITVM.

stolæ. Vnde quanta sit eius autoritas intelligi potest. Non enim secus accipienda sunt, quæ hîc promit Dei spiritus per Paulum, quàm ea, quæ ab ipso Domino sunt prodita. Quare omnia quæ continentur in hac Epistola atq; alijs Pauli scriptis, eius esse autoritatis sciamus, vt in dogmatibus confirmandis & confutandis erroribus, plurimum habeant virium.

OCCASIO.

Occasio huius Epistolæ hæc fuit. Paulus in Creta reliquit Titum, vt ordinaret oppidatim Presbyteros, verum cum intelligeret multos esse ibi, qui prætextu legis Mosaicæ populum deciperent, scribit hanc Epistolam *Ἐπιτολὴν*, vt sui officij & muneris admoneretur Titus, ne sineret seductores Christi gregem mendacibus doctrinis, ac disceptationibus vastare inutilibus, quemadmodum cœperunt mox post Pauli discessum.

STATVS.

Hæc Epistola non est vnius status aut propositionis, sed multarum, quas omnes ad sex reuocare poteris. Vt Prima sit de ordinandis & constituendis Presbyteris

R 4 oppi



EPIST. PAULI

oppidatim. Secunda de increpandis hæreticis. Tertia, de vita & doctrina Episcopi. Quarta, de pia auditorum conuersatione & vita. Huic vt thesi subiunctio omnes hypotheses quas enumerat, videlicet de officio anuum, adolescentularum, iuuenum, & de obedientia præstanda magistratui. Quinta, de vitandis inutilibus iudaicarum fabularum disputationibus. Sexta, de fugiendis post admonitionem hæreticis. Hæ sunt propositiones paræneticæ huius Epistolæ, quibus adijciuntur interdum rationes continentes præcipua Christianæ religionis dogmata, de quibus suis locis dicendum est.

TRACTATIONIS ORDO
seu Methodus.

Ordo seu methodus Epistolaris est. Constat enim quatuor partibus, Epigrapha, Salutatione, Expositione & Valedictione. Porro ipsa expositio arbitraria est & libera. Nam eius conditionis sunt omnes huius Epistolæ propositiones, vt parum referat, quam quo loco colles. Est enim hoc Dialecticorum & Rhetorum præceptum, vt quemadmodum cum pro-
posi-

AD TITVM.


positiones aliæ ab alijs dependent, illæ priorem in tractatione locum occupent, quæ natura priores sunt: Ita cum eius sint naturæ, vt à se inuicem non dependeant, libera sit collocatio, nisi quod in principio & fine eas collocare consueuerunt, quæ alias pondere superant, quemadmodum hîc factum esse videmus. Vt enim primam fecit de ordinandis ministris: Ita postremam de vitandis hæreticis. Porro in tractatione singulorum capitum hunc serua- bo ordinem. Primum summam capitûs monstrabo. Deinde ordinem capitûs ostendam. Tertio loco exegesis vnâ cum obseruatione dogmatum seu locorum communium adijciam, vt vsus doctrinæ conspicatur.

SVMMA PRIMI CAPITIS.

Episopus oppidatim verbi ministros inculpatæ vitæ & sanæ doctrinæ ordinet, quò possit ora obstruere seductori- bus, & increpet durius peruersè docentes, vt tandem sani euadant & resipiscant.

ORDO PRIMI CAPITIS.

R § Post



EPIST. PAULI

Post epigrammā, cui adiuncta est imprecatio seu salutatio, mox exponitur Titum in Creta reliquerit, nimirum ut ordinaret oppidatim Presbyteros, id quod primam propositionem esse diximus. Deinde monet quales velit Presbyteros, cum in vita domi & foris, id quod per enumerationem attributorum exponit, tum in doctrina, nimirum ut possint exhortari per sanam doctrinam & contradicentes conuincere. Huc addit argumentum ex contrario, seu antithesin facit de malis doctoribus, referens quantum damnum faciant in Ecclesia, quorum ut ostendat vanitatem, citat Epimenidis versum, quo tota Cretensium turba arguitur vanitatis. Hinc dilabitur ad secundam propositionem de redarguendis talibus seductoribus, ut non pereant, sed ut resipiscant, non amplius attendentes Iudaicis fabulis de escis & externis, ut uideatur, purificationibus, quas fabulas omnes una de libertate Euangelica sententia iugulat, inquit: Omnia munda mundis &c. Verum quia gloriabantur seductores illi de noticia Dei, & sapientiae quadam opinione tuebant, per anthyphoram eos factis Deum, de quo vanè gloriabantur, negare asserit, EXE-

PAULI
cui adiuncta
utatio, mox ep
reliquerit, nūm
nim Presbytero
ropositionem ele
net quales vdi
ta domi & fori, i
nem attributorum
rina, nimirum v
nam doctrinam &
ncere, Huc add
ntrario, seu antie
oribus, referens
nt in Ecclesia, qu
tem, citat Epim
Cretensium tur
ne dilabitur ad
de redarguens
vt non pereant,
nplius attendens
& externis, vt v
as fabulas omne
elica sententia iug
munda mundis d
bantur seductore
pientia quadam
anthypophorant
vanē gloriabantur

AD TITVM.
EXEGESIS PRIMI
CAPITIS, CVM OBSERVA
tione doctrinarum.

Paulus seruus Dei, Aposto
lus autem Iesu Christi, secun
dum fidem electorum Dei &
agnitionem ueritatis, quæ secun
dum pietatem est, in spem uitæ
æternæ, quam promisit qui non
mentitur Deus, ante tempora
æterna, manifestauit autem tem
poribus suis uerbum suum per
prædicationem, quæ credita est
mihi, secundum iniunctionem
saluatoris nostri Dei, Tito di
lecto filio secundum commu
nem fidem.

Epigraphæ Paulinæ omnes quidem
constant suis vt ita dicam, essentialibus
partibus, primo enim loco suum nomen,
deinde eos ad quos scribit, collocat, ple
ræq; magnificis epithetis ornantur, id
quod



EPIST. PAULI

quod à Paulo factum est, non vt prophanus Porphyrius sensit, ambitione quadam, sed ob tres causas, quarum Prima & præcipua fuit, vt hac ratione suæ doctrinæ autoritatem conciliaret contra pseudoapostolos, qui autoritatem Pauli ideo obscurare conabantur, vt Iudaicis fabulis locum facerent, quas Paulus tanquam pestes nocentissimas sanæ doctrinæ ab Evangelio remotas esse voluit. Altera causa, vt hoc modo confiteri se Christum, quem ferè totus mundus tum persequebatur, palam faceret, contemptis omnibus omnium hominum sannis & minis. Tertia, vt suo exemplo eos, ad quos scriberet, ad confessionem prouocaret. Constantis enim & fortis tum animi fuit, audere in tanta persecutione Christum confiteri. Hoc sit dictum de epigraphis Paulinis in genere, Nunc ad præsentis Epistolæ epigrapham descendam, in qua Primum pro consuetudine ponit suum nomen proprium. Deinde titulum, quem habet communem cum omnibus fidelibus, dum se seruum Dei fatetur collocat. Postea suæ functionis peculiaris, hoc est, Apostolatus mentionem facit. Vt autem ostendat quale nam sit Apostolicum munus, addit quòd sit de fi-
de ele-

PAVLI
n est, non vt pro
lit, ambitione
ulas, quarum Pri
nac ratione suæ
incluaret contra
toritatem Pauli
ur, vt Iudicis sa
uas Paulus rano
as sanæ doctrine
lle voluit. Altera
tenti se Christum,
tus tum persecuto
ntentis omnibus
is & minis, Ter
d quos scribere
taret. Constan
ti fuit, audere
tum confiteri,
aphis Paulinis
sentis Epistolæ
qua Primum pro
n nomen propriu
em habet commu
bus, dum se ser
Postea suæ func
Apostolatus me
m ostendat quale
us, addit quod

AD TITVM.

de electorum Dei. Secundum fidem inquit, id est, ad fidem scilicet prædicandam, qua electi Dei saluantur, id est, de fide qua omnibus seculis pñ saluantur, quam fidem dicit consistere in noticia veræ pietatis, & spe vitæ æternæ. Hoc autem ne quis nouum diceret, asserit ita quidem Deum promississe ante secula æterna, id est, iam inde vsq; ab initio conditi orbis, (æterna dixit Augustinus, quæ ante se non habent vllum tempus.) Nunc verò tempore constituto, tandem mundo reuelatum esse per Euangelium, cuius preconem se esse constitutum, ad iussum saluatoris Dei, affirmat. Hic est sensus epigraphæ, in qua hæc sunt obseruanda. Primum, exemplum Pauli confitentis se seruum & cultorem Dei, quæ res nos commonefaciet non solum nostræ confessionis, verumetiam cultus, quem nostro Domino secundum verbum debemus. Secundo, à Paulo discant Episcopi & ministri verbi adeoq; omnes, diligentiam præstare in officio sibi demando. Tertio, vt Apostolorum fuit fidem electorum Dei docere: Ita sciant ministri verbi hunc sui muneris scopum esse, vt eandem electorum fidem doceant. Contra quod factitant Romanenses porci, hoc est, serui



EPIST. PAULI


serui Diaboli, qui sana fidei doctrina suppressa, ventris sui & gloriæ causa, præstigijs infinitas ad decipiendos homines commenti sunt. Quarto, confutatur hîc dogma illorum, qui docuerunt Gentes lege naturæ, Iudæos lege Mosaica, Christianos lege Euangelica saluari. Nam Paulus fidem electorum nominans, significat vnam esse electorum fidem, quæ ducit electos, id est, credentes ad Christum, viam vnicam salutis. Quinto, docetur hîc in quibus consistat vera fides, nimirum in veræ pietatis noticia & spe vitæ æternæ. Vnde etiam commendatur nobis studium discendi verbum, sine quo ad illam noticiam nemini venire contingit. Sexto, scopus fidei & pietatis veræ ostenditur esse vita æterna, in qua recuperata perfectè imagine Dei, æternum beati Deum glorificabimus. Septimo, cum dicit Deum esse & ἰσοῦς, vult vt firmiter ipsius verbo fidamus, nihil morantes quicquid rerum externa facies polliceatur. Octauo, cum ad iussum saluatoris Dei se Apostolum factum meminit, suo exemplo docet, vt nullus in Ecclesiam sine vocatione irrumpat. Porro Titum filium vocat, vel ex consuetudine, qua grãdiores natu, iuniores filios

AD TITVM.

lios nominant, vel ex affectu merè pater-
no, vel quia per doctrinam Pauli conuer-
sus, fide factus est Titus nouus homo, atq;
ideo addit, iuxta communem fidem, qua
scilicet omnes credentes ex æquo nascun-
tur filij Dei. Hic obserua qualis affectus
debeat esse doctoris erga suum discipu-
lum, Episcopi erga inferioris gradus sym-
mystas, ministri verbi erga auditores, atq;
adeo superis omnis erga inferiorem. Com-
munis fides admoneat nos mutuae defe-
ctionis. Communis enim fides non solum
facit nobis multa communia, verum eti-
am efficit, vt omnes vnus simus in Chri-
sto Iesu, ad Galat. 3.

Gratia, misericordia & pax
à Deo patre & domino Christo
Iesu, saluatore nostro.

Salutandi formam sumit Paulus à
fructu Euangelij, vt hoc modo eos, ad
quos scribit, excitet ad amorem Euange-
lij, proposito tanto bonorum thesauro, à
quo sunt exclusi omnes, quotquot Euan-
gelio non credunt. Salutationes Paulinæ,
continentes Euangelij prædicati fructum,
admonent eos, ad quos scribitur, fidei, sine
qua



EPIST. PAULI

qua ociosæ manent adeò dulces ac salutare salutaciones.

Gratia in scriptura significat propriè gratuitam benevolentiam Dei seu caritatē seu fauorem, quo Deus nos complectitur in filio. Deinde per metonymiam, quicquid Deus nobis ex gratuito favore seu benevolentia donat, gratia dicitur, vt est gratuita remissio peccatorum, donatio spiritus sancti, & virtutes donatæ, quæcunq; tandem illæ sunt.


Misericordiæ nomen magis exprimit affectum Dei erga nos, & multarum rerum nos admonet. Quoties itaq; in scriptura fit mentio misericordiæ Dei, erga genus humanum, hæc nobis in mentem veniant. Primum, obiectum misericordiæ, quod est miseria generis humani, qua totum genus humanum in se perditum & deploratum est. Secundum, huius miseriæ causa, quæ est peccatum, res omnium tristissima & fœdissima. Tertium, *Ἐλεος* Dei erga genus humanum, quod Deus non abiecerit prorsus hominem propter tantam turpitudinem & fœditatem. Quartum, *ἀντίλυτρον*, quod est victima filij, peracta ad liberandum nos ab illo ingenti malo, & ad tollendum iram & damnationem.

AD TITVM.

nationem commertam ob peccatum. Quintum, pœnitentia & fides, sine quibus illius ineffabilis precij, victimæ filij, non reddimur participes. Sextum, ad quos se extendit illa misericordia, misericordia, inquit, beata illa in progeniem progenierum, timentibus eum. Septimum, perpetua gratitudo cordis erga Deum, pro tam immensa bonitate, quod noluerit nos æternum damnari, sed eum, qui non nouit peccatum, fecerit pro nobis peccatum, vt nos fieremus iusticia Dei in ipso, 2. Corinthi. decimo.

Pax theologicè est mutuus consensus Dei remittentis peccata, acceptantisq; nos propter Filium, & fidei, accipientis remissionem peccatorum, statuentisq; quod Deus non velit damnare nos, sed propter Christum mediatorem vnicum recipere. Hinc placata & tranquilla conscientia redditur, dum in hac pace conuiescit mens. Vnde nomē pacis sæpe per Metonymiam pro tranquillitate conscientiaë ponitur. Porro hîc regula obseruanda est, quod eorum quæ natura seu certo quodam vinculo coniuncta sunt, cum vnum dicitur, cætera intelligantur, vnde fit, vt quodlibet horum trium vocabulorum sine alijs

S posi-



EPIST. PAULI

positum tantundem valeat, ac si omnia
 ponerentur. Sunt enim Gratia, Misericor-
 dia & Pax ita natura coniuncta, vt vno
 posito, cætera excludi non possunt. Cum
 addit, A Deo patre, amplificat salutatio-
 nem à causa efficiente, seu ab autore eorum
 bonorum, quæ offert Euangelium Chri-
 sti, vnde obseruandum, quod pñ odio
 mundi, tyrannide Diaboli, & importuni-
 tate hostium pressi, hinc se consolentur, &
 opponant odio mundi, gratiam Dei: Ty-
 rannidi Diaboli, misericordiam Patris cœ-
 lestis: Importunitati hostium momenta-
 neæ, æternam pacem, quam donat rex pa-
 cis Dominus noster Iesus Christus in se cre-
 dentibus. Deinde & hoc obseruandum
 est, quod eorundem bonorum autorem &
 Patrem & Filium agnoscat scriptura. Nam
 vt Pater misericordia sua, & inenarrabili
 εὐλαβρωπία, filio vnigenito in ἀντίλυ-
 τρον pro nobis dato, nos redemit: Ita Fi-
 lius obediētia & sanguinis effusione idem
 præstitit, à quo non excluditur Spiritus
 sanctus, qui nos vngit & sanctificat, vt tan-
 torum bonorum capaces esse possimus.
 Est præterea & hoc obseruandum, quod
 Paulus vt plurimum, quoties incidit in
 saluatoris mentionem, soleat coniungere
 has

has quat
 Christus
 no confi
 eis nostr
 tur. Pr
 net pios
 Christi
 subiectio
 noster ef
 bitus illi
 noster, t
 nos in i
 Iesus, d
 onatur.
 saluato
 feriaz ne
 tum fide
 mur, C
 liberati
 regnat
 H
 in Cr
 A
 sequit
 ponit,
 propter

AD TITVM.

has quatuor voces, Dominus noster Iesus
Christus, idq; facit Paulus non sine mag-
no consilio, nimirum vt mysterium salu-
tis nostræ his paucis voculis complectatur.
Prima enim vox Dominus, admo-
net pios potentia, victoria & domini
Christi domini. Secunda vox Noster,
subiectionem & fidem requirit, si enim
noster est, serui ipsius sumus. Quare & de-
bitus illi cultus à nobis præstandus est. Si
noster, nobis in salutem datus, profectò
nos in ipsum credere oportet. Tertia vox
Iesus, de persona & officio Christi conci-
onatur, nimirum quod sit θεάυθρωπος &
saluator. Vnde rursus monemur cum mi-
seria nostræ, in qua sine ipso hæremus,
tùm fidei, qua miseria per ipsum libera-
mur. Quarta vox est Christus, modum
liberationis per ipsum docet, nempe per
regnum & sacerdotium ipsius.

Huius rei gratia reliqui te
in Creta,

Absoluta epigrapha & salutatione,
sequitur expositio, in qua primum pro-
ponit, de rectè constituendis, quæ à Paulo
propter subitum abitum omissa erant, &

S 2 de or-



EPIST. PAULI

de ordinādis oppidatim Episcopis, quem admodum suprà in tractationis Methodo monuimus. Est autem obseruandum hic primum, quòd Paulus non velit ἀναρχία in Ecclesia, sed quòd omnia fiant ordine & decenter, vult aliquem vita & doctrina conspicuum præesse ministris ordinandis, & rectè disponendis omnibus in Ecclesia, qui caueat ne quid hæresium oriat, Breuiter, qui vt omnia ritè agantur studeat. Neq; tamen hinc stabilitur primatus Papæ, neq; tyrannica papalium Episcoporum ἀυτονομία, & iurisdicctio, quam sibi vendicant. Hi enim non Euangelio Domini nostri Iesu Christi seruiunt, sed in hoc totis viribus incumbunt, vt diuina bonitate lucem Euangelij accensam, flumine sanguinis piorum extiguant. Tametsi longè sua opinione frustrantur. Sanguis enim martyrum velut optimum oleum est. Nam is facit, vt lux Euangelij accensa magis ardeat.

Vt ea quæ desiderantur, corrigas.

Id est, vt quæ desiderantur in Ecclesiastica ordinatione, rectè disponas. Nam Pau-

Paulus i
se contr
nis, sed
cto inte
quæ ips
dispone
genere e
clesia.

Et
Presb

Pa
est, ord
quibus
seruari
ditus pe
Presby
stros v
appell
luris n
ministr
mand
ministr
plis p
men a
gnitat
admoc

PAVLI
ad Episcopos
tractationis
utem obseruand
Paulus non veli
sed quò omnia fra
vult aliquem viti
um prælle ministr
è disponendis om
ueat ne quid hær
qui vt omnia rite
q; tamen hinc frab
neq; tyrannica
autovpuz, & in
dicant. Hi enim
nostri Iesu Chri
s viribus incur
lucem Euangeli
minis piorum
è sua opinione
martyrum velut
am is facit, vt lau
ardeat.
uæ desiderant
æ desiderantur in
e, rectè disponas

AD TITVM.

Paulus iacto fundamento, vt videtur, aliò se contulit, vt qui fuerit non vnus nationis, sed gentium apostolus & doctor, relicto interim apud Cretenses Tito, qui ea quæ ipse breui tempore non absoluerat, disponeret. Obserua officium Episcopi in genere esse, omnia rectè disponere in Ecclesia.

Et constituas oppidatim Presbyteros.

Pars præcipua muneris Episcopalis est, ordinare idoneos ministros verbi, sine quibus Ecclesia Dei nec ædificari nec conseruari potest. Fides enim ex auditu est, auditus per verbum Dei, verbum Dei per Presbyteros sonat. Vnde Paulus ministros verbi œconomos mysteriorum Dei appellat 1. Corinth. 4. Mysterium enim salutis maneret prorsus incognitum, nisi per ministerium verbi reuelaretur. Vnde æstimandum est, quanti oporteat nos facere ministerium & eos, qui in scholis & templis purè docent. Porro Presbyteri nomen apud græcos nunc ætatis, nunc dignitatis & honoris appellatio est. Quemadmodum enim Latini seniores non tam

S 3 eos,



EPIST. PAULI

eos, qui ætate præcedunt, quàm qui honore & dignitate ancillant, nominant: ita græci Presbyteros per metonymiam nominare consueuerunt eos, qui dignitatis gradu alios anteirent.

Quemadmodum ego tibi
ordinaui.

Id est, eo modo, quem tibi præscripsi. Hoc est, per impositionem manuum Presbyterij & orationem, explorata prius vita & doctrina eius, qui in Presbyterum expetitur.

Si quis sit inculpatus.

Per enumerationem exponit, quales velit ordinari Presbyteros. Inculpatus, id est, talis qui non commiserat crimen, ob quod in ius iustè vocetur. Nam ἐγκαλῆρ significat in ius vocare, vnde ἀνέγκλητος, id est, crimine vacans, ob quod in ius possit vocari. Nam cum turpe sit doctori, cum culpa redarguit ipsum, non potest alios scelerum arguere, qui ipse sceleratus & criminofus est, vt interim taceam, auditores plerunq; Presbyterorum scelera imitari.

Vnius

AD TITVM.

Vnius uxoris maritus.

Non dicit si quis fuerit vnus vxoris maritus, sed si sit talis, siue primam siue secundam &c. nunc habeat. Hic destruitur dogma Papisticum & doctrina demoniorum de cœlibatu sacerdotum. Spiritus sanctus vult Presbyterum ordinari vnus vxoris maritum. Tyrannis verò Romanensium omni suppliciorum genere eos sacerdotes mulctandos & puniendos iudicat, qui sanctum & honorabile inter omnes matrimonium præferunt sodomiticis & nefandis libidinibus. Quod nam obsecro clarius esse symbolum potest doctrinæ Dæmoniorum? Hinc discant p̄i ministri plaris facere Spiritus sancti mandatum, quàm Satanæ astutissimum inuentum, per quod (proh dolor) infinitas animas ad tartara pertraxerat hætenus. Nec nouum commentum Papistarum potest illudere hunc locum, dum interpretantur Presbyterum maritum vnus vxoris, hoc est, vnus Ecclesiæ. Nam hoc cauillum confutat quod sequitur.

Liberos habens fideles.

Non enim leue argumentum est, cum

S 4 inno-



EPIST. PAULI

innocentiæ parentum, tum legitimæ œconomicae administrationis honestas & innocentia liberorum. Nam multum refert quomodo quis sit educatus, quemadmodum Plato & Plutarchus prolixè docent. Hinc est quod parentes non careant culpa, si pueri adulti & malè educati delinquant. Heli, quia ventris ingluuiem & fornicationem in filijs non corripuerat, & suam & illorum salutem perdidit. Plato duabus de causis homines fieri malos iudicauit. Primum, vitia in natos transfundi dicit. Deinde, educatione mala eadem vitia augeri firmiter existimat, quæ quidem emendari ac corrigi posse honesta educatione arbitratus est, adeò vt diceret, caput rectè institutionis esse rectam educationem. Obseruandum ergo hic Primum est, parentibus non iniuste imputari filiorum scelera, si eos non rectè in pietate & correctione Domini instituunt. Deinde, quòd cum pietatis & honestatis domesticæ, tum impietatis & malæ consuetudinis parentum, argumentum sit vita liberorum. Verum si parentes in hac re suo fuerint functi officio, non sunt culpandi quidem illi, sed filij illorum grauius supplicium cum Deo, tum hominibus luent.

Præ-

A D T I T V M.

Præterea, monentur hîc pueri pietatis & honestatis, vt parentum suorum decus sua innocentia adaugeant.

Non in accusatione luxuriae.

Id est, non sint criminosi aut infames ob lasciuiam, quales filij Heli fuerunt.

Aut inobsequentes.

Id est, qui iussui aut imperio superiorum nolunt subijci, id quod euenire solet, ex blanda patrum indulgentia. Ambrosius rectissime vertit inobsequentes.

Oportet enim Episcopum inculpatum esse, tanquam Dei dispensatorem.

Breuiter monuit quales nam velit Presbyteros elegi, nunc idem confirmat ab adiunctorum enumeratione, quæ necessario requiruntur in Episcopo, & primo loco à quibus vicij debet esse immunis Episcopus. Deinde recitat virtutes, cum quibus Episcopalis functio ornatur, tum quæ sunt proprie Episcopi, nimirum vt ad exhortandum & conuincendum

S s aduer-



EPIST. PAULI

aduersarios idoneus sit. Primum ergo vult Episcopum inculpatum esse, & rationem reddit, quia est dispensator seu œconomus in domo Dei, quæ est Ecclesia. Hic titulus Primum admonet Episcopum, quàm latè ipsius officium pateat, nimirum vt solummodo ea promat, quæ sunt sui Domini. Non est enim dispensator humanarum traditionum, sed mysteriorum Dei, i. Corinth. 4. Secundò, monet auditores quo in loco debeant habere ministros verbi, nimirum vt agnoscant eos ministros Christi, & œconomos Dei. Tertio, hinc lucet, non esse œconomos Dei, Papiſtas & alios hæreticos, qui non quæ Dei, sed quæ Satanæ sunt, promunt.

Non præfractum.

Alij hîc proteruum, alij superbum, alij præfractum, nonnulli contumacem vertunt, quorum nullo propriè redditur græca vox, nec tamen ideò culpandi sunt interpretes, quorum hic mos est in transferendis græcis, vt cum propria quæ respondent græcis, desunt, vtantur nunc generibus pro speciebus, nunc speciebus pro generibus, nunc translatis, interdum vicinis,

AD TITVM.

nis, quemadmodum hoc loco factum est. Nam omnis qui est ἀυθαδης, est superbus, est proteruus, est præfractus, est contumax. Græca autem vox ἀυθαδης composita est ab αυτος, id est, ipse, & ἀδῆμ, placere, vt ἀυθαδης sit, quem nostra vernacula lingua vocamus, dynkelgod vel selfgod, cui nihil placet nisi quod ipse fecerit, quicq̃ sibi suisq̃ consilijs tantum tribuit, vt alios eorumq̃ consilia superbe & contumaciter contemnat, quo vicio nullum esse potest nocentius in Episcopo. Huius vicij causa est persuasio quædam sapientia & prudentia, adiuncta, sunt superbia, proteruitas, præfractus animus, contumacia. Effecta, aliorum consilia contemner, suas opiones mordicus tueri, vnde facilimus prolapsus est in hæreses, ex quo facile intelligitur, quàm debeat hoc vicium alienum esse ab Episcopo, qui non solum benignè alios erudire, verum etiam plerunq̃ amicè & attentè aliena consilia audire, eaq̃ in multis sequi debeat.

Non iracundum.

Iratum fuisse legimus Mosen ob vitulum aureum, quem fuderant Israëlita, cum



EPIST. PAULI

cum is in monte cum Domino esset. Fre-
muisset spiritu legimus ipsum Dominum.
Prophetas sæpe motos ob populi cæcita-
tem & scelera. Rursus legimus Dominum
prohibuisse iram. Verum has antilogias
dissoluet causarum diuersitas, alia enim est
ira, cuius causa est zelus Dei & iusticiæ,
alia quam caro & peccatum operantur.
Illa probanda, hæc damnanda est. Ab hac
generatur, quam hîc vult Paulus alienam
esse ab Episcopo, iracundia, quæ iracundia
duo mala, vt alia taceam, habet sibi ad-
iuncta. Primum, iracundus non potest
mansuetè, blandè, benignè & comiter age-
re cum imbecillioribus, id quod Episcopo
inprimis faciendum est, alioqui infirmos
non vt medicus sanat, sed vt carnifex cru-
ciat. Deinde, quis est qui non ab iracundis
tanquam à rabiosis canibus aufugit, tan-
tum abest vt quisquam uel amet talem, uel
aliquid in rebus afflictis consilij ab ipso
expetat.

Non uinosum.

Quantum sit ebrietatis malum, noti-
us est, quàm vt de eo aliquid adferam.
Nam præter id quod grauissimè Deum
offendat ebrietas, impedit omnes actiones
cor-

AD TITVM.

corporis & animi, quas vel pietas vel fun-
ctio requirit. Mentem enim mouet de suo
statu, corpus eneruat, accendit flammam
libidinum & affectuum, vnde plurima
mala oriuntur, vt proditiones, adulteria,
stupra, homicidia, & quid non scelerum
vesana ebrietas secum trahit? Lex æterna
(inquit Augustinus) ebrietatem condem-
nat, quia cibum & potum ad ordinem na-
turalem, non nisi gratia conseruandæ salu-
tis admittit.

Non percussorem.

Gladio spiritus vtetur Episcopus, non
pugnis aut fustibus, minas iræ Dei propo-
net inobedientibus, carceres & alia tor-
menti genera, quibus flagitiosi puniri so-
lent, relinquat magistratui ciuili. Puto eti-
am hic prohiberi verbera linguæ amaru-
lentioris.

Non turpis lucri cupidum.

Hoc viciū est, quod non solum ar-
guit insignem diffidentiam de promissio-
nibus Dei, qui se pro nobis sollicitum esse
affirmat, verum etiam in ministris verbi,
cum sit hoc viciū, præbet infirmis & ex-
traneis



EPIST. PAULI

traneis ansam scandali, imò vt verbum Dei malè audiat, facit. Quarè deceret vt potius tenuiori cum victu tum vestitu essent contenti, quàm vt sinerent religionem isto nomine periclitari.

Sed hospitem.

Græca vox φιλόξενος significat amantem hospitem & benignum erga hospites peregrinos. Cuius benignitatis forma quædam est amanter hospitio excipere, præsertim domesticos fidei tenuiores. Hæc virtus magnum fructum adfert ad ædificationem Ecclesiæ. Non enim solum tenuiores refocillantur hoc modo, verum etiam alij humanitate illa inuitantur ad similem præstandam egenis benevolentiam.

Benignum.

In græco est φιλάγαθος, id est, amantem bonos, vult enim vt Episcopus benignè complectatur eos, qui piè, honestè & sanctè viuunt, vt ipsius benignitate incitentur ad acius optimarum rerum studium.

Sobri-

AD TITVM.

Sobrium.

Hic rursus Latinus pro specie genus collocavit. Σώφρων enim iuxta Etymonem significat, qui in omnibus rebus agendis seruat prudentiam, videlicet cum mens nullis cupiditatibus aut affectibus (qui vt Plato inquit, in rebus agendis solent esse amentes consiliarij) ebria, manet immota. Vnde idem Philosophus hanc virtutem politicam appellat. Nam qui in republica viuit sine moderatione affectuum, cum sibi, tum alijs non raro est exitio. Quare cum Episcopus præcipuè illorum saluti cõsulere debeat, quorum est Episcopus, non potest hac virtute carere sine magno Ecclesiæ malo. Duplici enim nomine Episcopo utilis est, cum quia illū ipsum in officio continet, ne potius suadentibus illis amentibus consiliarijs, hoc est, affectibus, quàm verbo Dei quicquam agat in Ecclesia, tum exemplum prodest cum alij mentem componunt ad exemplum Episcopi, videntes quantum sit ornamentum viri mentis sobrietas.

Iustum.

Scilicet cum nemini iniuriam inferendo.



EPIST. PAULI

do, tum nullius personam præferendo vel habendo acceptiorem ex priuato affectu,

Pium.

In cultu Dei & pietate debet esse assiduus. ὅσιος enim dicitur quasi εὐσεβής, id est, pius religionis cultor. Quis enim ab eo pietatem discere potest, qui ea, quæ docet, vita & moribus non exprimit?

Continentem.

Oportet Episcopum esse talem, qui non solum in victu sit parcior, sed qui linguæ, manibus, oculis, affectibus imperare potest. Sic enim hîc temperantem exponit Athanasius, vim græcæ vocis exprimens.

Hactenus ostendit Paulus qualem deceat esse Episcopum in vita & moribus, nunc exponit qualem deceat eundem esse in doctrina.

Tenacem fidelis sermonis secundum doctrinam.

Hæc vocabula penitus introspecta multa continent. Vult Episcopum esse tenacem fidelis sermonis, id est, uerbi ore Dei prolati, quod verbum fidele vocat, propter eius veritatem & certitudinem. Vnde Primum obseruandum est, quòd tamen si
diuina

A D T I T V M.

diuina scriptura venas habeat inexhaustas: Tamen oporteat Presbyterum seu pastorem esse in sacra scriptura & doctrina instructum, adeò vt ei ita firmiter inhæreat, vt nullo modo inde auelli se patiatur. Secundò, requiritur seria confessio doctrinæ, vt nullis rebus absterreatur, quin palàm coram omnibus eam quam corde tenet, voce & vita confiteatur. Cum addit, secundum doctrinam, vult vt doceat auditores, ac illis prodesse studeat. Huc enim pertinet officium Episcopi, vt sanam doctrinam, quæ prodest ad ædificationem doceat, non vt inanibus speculationibus incumbens proferat tandem abstrusa quædam, quæ nullum vsum habent in exercitio pietatis. Hinc discant ministri verbi, sui esse muneris profectum Ecclesiæ sibi commissæ quærere, & non ocium aut voluptates sectari. Perstringuntur præterea purpurati illi Episcopi, quorum alij non didicerunt doctrinam cœlestem, alij didicerunt quidem, sed docendi munus commiserunt laruaris quibusdam Papæ morionibus, hoc est, monachis.

Vt possit & exhortari per doctrinam sanam, & contradic

T centes



EPIST. PAULI

centes conuincere.

Postquam rectè docuit Episcopus, opus habet duabus rebus, nimirum exhortatione, vt quod didicerunt auditores, vita exprimant, ne frustra docuisse videatur, & confutatione, vt contradicentes, id est, aduersarios doctrinæ conuincat, ne videlicet quod ipse rectè docuit, aduersarij vel deprauent, vel prorsus sophistica destruant. Vt enim boni pastoris est non solum oues pascere, verum etiam lupos arcere: Ita Episcopus doctrina sana pascat Ecclesiam, & hæreticos eadem conuincat. Vocat autem doctrinam sanam, vel per metonymiam, quia liberat animum ab erroribus & morbis, videlicet adferentib, mortem æternam, vel sanam per metalepsin vocat puram, nullis humanis doctrinis aut traditionibus Iudaicis inquinatam & corruptam.

Sunt enim multi immorigeri.

Antithesi seu argumento à contrario declarat, quantum referat Presbyteros, vita ac doctrina esse sinceros.

Vaniloqui.

Vaniloqui sunt, qui de rebus nihili curiosius disputant, quiq; ea scrutantur & pro-

PAVLI
re.
docuit Episcopos
ebus, nimirum
dicerunt audire
ultra docuisse
ut contradicente
ina conuincat, no
ctē docuit, aduer
rorius sophisticā
ni pastoris est non
erum etiam lupi
doctrina sana pōt
ros eadem conuinc
nam sanam, vbi
a liberat animas
videlicet adfē
vel sanam per
nullis humanis
us Iudaicis inq

multi immo
tu argumento
m referat Presby
e sinceros,
niloqui,
me, qui de reb
; quicq; ea scriu

AD TITVM.

proponunt auditoribus, quæ neq; ad pietatem alendam, neq; ad mores formandos faciunt. Hinc discant ministri verbi, omnia quæ docent, ita temperare, vt pietati & honestis moribus seruiant ad ædificationem. Discant etiam muliebrem garrulitatem in concionibus fugere, inutiles excursus, & sesquipedalia verba minus sectari. Simplex est enim veritatis oratio, vt inquit Euripides.

Mentium seductores, maxime ñ, qui sunt ex circumcisione.

Prauæ doctrinæ fructum potissimum expressit hac voce. Mens enim seducta à veræ pietatis doctrina, mox ruit in superstitionem, vnde præcipitatur in exitium. Monentur itaq; hîc ministri verbi, ne ferant tales deceptores, neue conuiueant cum illis in animarum perniciem, pro quibus mortuus est Christus.


Quib. oportet ora obstruere.

Id est, verbo Domini eos erroris conuincere, & argutias illorum damnare.

Qui totas domus euertunt.

Vt excitet pastores ad vigilantiam & diligentiam in arcendis lupis, proponit

T 2 pericu-



EPIST. PAULI

periculum. Multum esset si de bonis ageretur & commodis præsentis vitæ, sed nunc agitur de æternis bonis, quibus spoliant seductores eos, quos seducunt in errores, Hic admoneantur ministri, quod grauissimè peccent, si aliena negotia sectantes sinant huiusmodi seductores praua doctrina Ecclesiam Christi deuastare.

Quæ non oportet docentes.

Id est, prophana & impia, nihil ad ædificationem facientia. Hic rursus admoneantur fidelitatis præstandæ in docendo, ne argutias inutiles sectentur, aut traditiones hominum, relicto verbo Dei.

Turpis lucri gratia.

Hæc est Diaboli techna, vt lucro proposito suos seruos, hoc est, hereticos, ad strenuè faciendum officium excitet, solet enim talibus machinis vt Diabolus ad euerterdam domum Dei. Ambrosius dicit eos duplex lucrum quæsiuisse, pecunias nimirum à Iudæis (Pauli doctrinam funditus euersam volentibus) & præputium. His similes nostra ætate sunt omnium Monachorum sectæ, quæ tametsi à se inuicem maximè dissentiant, tamen in hoc conueniunt omnes, quod lucrum & honores
quæ-

AD TITVM.

quærant. Verum pius minister sciat nullum esse præclarium lucrum, quàm pietatem, piæq; doctrina plurimas animas Christo lucrifacere.

Dixit quidam ex ipsis proprius ipsorum Propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestia, uentres pigri, testimonium hoc uerum est.

Versus Epimenidis heroicus est, quem in hunc modum licet reddere mutato numero. *Cres semper piger est uenter, mala bestia, mendax.* In hoc versu tribuit Cretensibus, vanitatem, stupiditatem, ignauium ocium & gulam, à quibus vicis ministros verbi omnino obstinere necesse est, si modo quicquam à se rectè geri velint. Obseruandum hic Primum, taxandam esse illorum peruersam opinionem, qui putant nefas esse sententias ex prophanis scriptoribus adferre in explicatione sacrorum dogmatum. Deinde admonemur de vero usu Ethnicorum scriptorum, nimirum ut seruiant sacrae scripturae, tanquam ancilla suae reginae. Quemadmodum enim Aegyptiaca spolia tabernaculo Dei ornando seruiunt:

T 3 uierunt:



EPIST. PAULI

uierunt: Ita artes & recta Philosophorum dicta seruire debent Ecclesiæ Christi. Seruire inquam, ne quis Philosophorum sententias abhorrentes à pietate adducat ad euertendam sanam doctrinam. Aristoteles, qui mundum æternum fuisse disputat, cedit Mosis monstranti opificem creationis, modum & ordinem. Idem iudicium fit de alijs. Sed de hac re dixi copiosè in enarratione Epistolæ ad Colossenses cap. 2.

Propter quam causam argue ipsos seuerè.

Secunda propositio est. Primum obseruandum, quòd pius minister non solum debeat recta docere, sed arguere peruersa docentes. Secundo confutantur hic, qui tantum volunt recta doceri, sine taxatione hæreticorum. Hoc enim vt fiat vtile est, ad faciendam fidem sanæ doctrinæ. Deinde admonentur, qui audiunt sibi cauendum esse, ne errorum tenebris incauti inuoluantur. Modum arguendi addit cum inquit, SEVERE, Græca vox durius & seuerius arguendos monet hæreticos, sed breuius. Non vult Paulus conciones integras consumi in declamationibus aduersus hæreticos, sed breuiter, quasi abscindi

acuras

AD TITVM.

acutas obiurgationes, vt hæretici contem-
ni videantur, & indigni iudicentur, cum
quibus prolixius sit agendum.

**Vt sint sani in fide, non at-
tendentes Iudaicis fabulis.**

Quò spectare debeat Episcopi obiur-
gatio monet. Primum, vt sint sani in fide.
Deinde, vt fugiat fabulas Iudaicas. Fabu-
las hîc vocat nugas, quas uoluerunt Iudæi
miscere cum puro Euangelio Christi, &
tametsi ritus illi Iudaici de cibis & purga-
tionibus, suo tempore vsq; ad aduentum
Christi fuerunt quædam externa pæda-
gogia à Deo præscripta, tamen postquam
politia Mosis per Christum sublata est, re-
ctè fabulosum & nugatorium dicitur,
quicquid inde adfertur ad obscurandam
veritatem Euangelij.

**Et mandatis hominum auer-
santium ueritatem.**

Epexegetis est. Nam quid per fabulas
intelligat, interpretatur. Hîc obseruandum
est, quòd puritas & sanitas doctrinæ Chri-
stianæ non potest stare cum traditionibus
hominum. Verum hîc rursus obseruan-
dum est, quòd quemadmodum hic locus

T 4 dam-

EPIST. PAULI

damnat traditiones humanas, quibus puritas Euangelij contaminatur: Ita non patrocinator ihs, qui hoc loco vel similibus nixi, omnes ab Ecclesia ceremonias sublatas volunt. Nam Paulus hinc disertè significat, quæ mandata hominum improbet, nimirum ea, quæ à veritate abducunt, non ea, quæ publici ministerij causa piè constituta sunt. Ipse enim Paulus Corinthijs scribens, vult omnia decenter fieri, id quod non potest fieri sine externis ritibus. Iudæi autem & Papistæ volebant traditiones suas cultum Dei esse, id quod Paulus & verbum Dei improbat. Nam verus cultus Dei est opus à Deo mandatum, factum ex fide, in gloriã Dei principaliter. Quod autem debeat esse opus à Deo mandatum, ex eo manifestum est, quod Dominus sua voce pronunciet, frustra se coli mandatis hominum. Deinde, quòd debeat ex fide fieri, conuincit illa Apostoli sententia: Quicquid non fit ex fide, est peccatum. Item, Impossibile est placere Deo sine fide. Finis comprobatur Christi testimonio dicentis, Matth. 5. Sic luceat lux uestra coram hominibus, vt glorificetur pater vester cœlestis. Esaiæ 43. Omnis qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creauit eum, for-

formauit eum
humanæ, cu
nec ex fide m
nominis Dei
de consequat
am, beneficijs
morte adeoc
spretis, quom
de Philippu
Omni
dis, sed pe
hil est m
Hac ser
manas de c
rens in his
gnificat, n. n
tum esse disc
veteri testam
Christiani
ue veteribu
uari. Hic pi
ad fidelem
bertatem C
has causas,
seruitutis in
modum in
grauius pe

VLI

as, quibus pe-
ur: Ita non pe-
o vel similibus
remonias suble-
hic discretis
ninum impio-
eritate abducun-
nistrum causa po-
nim Paulus Corin-
ia decenti teni, id
ne externis ritibus,
e volebam trahere
Te, id quod Paulus
at. Nam verus tu-
mandatum, factum
incipaliter. Quod
Deo mandatum,
od Dominus ha-
se coli mandatum
od debeat ex fide
postoli sententia
te, est peccatum
ere Deo sine fide
ti testimonio de-
lux vestra coram
ur pater vestri
qui invocantur
am creatum,
for-

AD TITVM.

formavi eum, feci eum. Traditiones igitur humanæ, cum nec verbum Dei habent, nec ex fide manant, nec in celebrationem nominis Dei fiunt principaliter, sed vt inde consequantur pseudochristiani iusticiam, beneficijs Christi, id est, passione & morte adeoq; sacerdotio & regno Christi spretis, quomodo cultus esse poterunt: vide Philippum in loco de ceremonijs.

Omnia quidem munda mundis, sed polutis & infidelibus nihil est mundum.

Hac sententia iugulat traditiones humanas de cibis & alijs rebus externis, afferens in his Christianam libertatem. Significat. n. non solum hac sententia sublatum esse discrimen ciborum, quod erat in veteri testamento, verum etiam, quod Christiani huiusmodi obseruationibus, siue veteribus siue nouis, non debeant grauari. Hic primum obseruandum est, quod ad fidelem ministrum verbi pertineat libertatem Christianam tueri, idq; propter has causas, quarum Prima est, ne laqueus seruitutis inñciatur conscientijs, quemadmodum in Papatu factum videmus, vbi grauius peccatum putabatur vesci carni-

T 5 bus



EPIST. PAULI

bus die veneris, quàm vllum præceptum Dei violare. Secunda, vt puritas doctrinæ sanæ his sordibus non contaminetur. Tertia, vt his næuis omiſſis, homines se exerceant in vera pietate, & operibus à Deo mandatis. Plura de hac re lege in Locis Philippi. Præterea perstringuntur hic Romanenses, qui hoc Pauli dictum contemnentes, inuexerunt plures traditiones in Ecclesiam, quàm vnquam habuerunt in veteri testamento Iudæi. Sed quid dicemus ad scripturam, quæ alia animalia immunda, alia munda pronunciat esse? Respondeo, Dominus vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Ergo naturas & substantias rerum scriptura non pronunciat immundas. Quare de vsu ea, quæ de mundis & immundis dicuntur, intelligenda sunt, vt munda dicuntur, quorum vsus fuit concessus, immunda verò, quorum vsus ad tempus erat interdictus. Huc facit Augustini sententia, qui hunc Pauli locum ita explicat, Omnia (inquiens) munda mundis, secundum naturam, in qua creata sunt, non tamen omnia secundum significationem munda primo populo Iudæorum. Nec nobis omnia vel propter salutem corporis, vel propter consuetu-


consuetudinem
sed cum su
lem ordiner
mundis. In
nihil est mu
rò, vt munda
fide, id est,
pellat omnia
hærent, &
Christum,
admodum
concessus et
da sunt, ne
est) sed at
creaturas
etiam hinc
Dei ab omni
llæ creatæ s
Dei, jam ra
gulæ & lux
Sed
mens &
Causa
nunciat, ad
errore, de
quis sit ver
Dei consue

AD TITVM.

suetudinem humanæ societatis, apta sunt, sed cum sua cuiq; redduntur, & naturalem ordinem seruant, omnia munda sunt mundis. Immundis autem & infidelibus nihil est mundum, hæc Augustinus. Porro, vt mundos Paulus vocat purificatos fide, id est, credentes: Ita immundos appellat omnes, qui adhuc in suis peccatis hærent, & viuunt impiè, sine vera fide in Christum. Hic obseruandum, quod quemadmodum vsus rerum pñs & fidelibus concessus est, & purus: Ita impijs immunda sunt, non quidem natura (vt dictum est) sed tactu & vsu impurorum, qui creaturas Dei bonas contaminant. Paret etiam hinc, quanta iniuria fiat creaturis Dei ab omnibus hostibus fidei in mundo. Illæ creatæ sunt, vt seruiant pñs in gloriam Dei, iam rapiuntur ab impijs, vt ipsorum gulæ & luxui seruiant.

Sed inquinata est eorum mens & conscientia.

Causam cur immundos infideles pronunciat, addit. Mens quidem inquinata est errore, dum fide vacui non intelligunt quis sit verus cultus Dei, putantes cultum Dei consistere in externis ritibus & ceremonijs,



EPIST. PAULI

nijs. Conscientia verò inquinata est iudicio falso, dum videlicet se vel alios damnant, aut excusant seu iustificant propter usum rerum, non intelligentes Christianam libertatem, sed κακοζηλία quadam Mosaica inuehentes delectum ciborum, & alia, à quibus Christiani sunt liberi, Coloss. 2. Obseruandum itaq; hoc loco est, quòd nihil sit purum homini, nisi mens & conscientia prius sint puræ, quantumuis splendeant externa opera.

Deum confitentur se scire, sed factis negant, cum sint abominabiles, & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi.

Anthypophora est, per quam à posteriori seu à fructu, quales nam sint illi gloriosuli, ostendit, & est firma demonstratio in theologia. Quorumcunq; opera sunt impia & sacrilega, illi quoq; sunt impij & sacrilegi, Deum ignorantes. Sed opera seductorum istorum, qui volunt Christianam libertatem traditionibus hominum conspurcare & infringere, sunt impia & sacrilega, ergo illi quoq; sunt impij & sacrilegi, quantumuis magno spiritu gloriantur se Deum scire, eumq; colere, Minor
 enume-

A
 enumeration
 abominabile
 opus bonum
 dem, quia De
 pphanos & fe
 membro, qui
 verbo Dei pe
 to non obten
 tur tertio me
 num sunt re
 uandum est,
 multarum r
 de pietate h
 moribus, q
 indicia sun
 ci iusticiam
 arbor bona t
 admodum et
 manat vitæ
 tis & honel
 na omnium
 inde obseru
 mnes, qui se
 illud nō vit
 tanq; propl
 tur, donec r
 ficentur fid
 catoris, sed

LI
inara est iust
vel alios dicit
dicant propo
entes Christa
quod quoniam
um ciborum &
sunt liberi, Co
hoc loco est
nini, nisi mens &
puræ, quoniam
era,
tur se scire
um sint abo
righeri, & ad
probi.
quam à postre
n sint illi glo
demonstratio
nq; opera sunt
sunt impij &
Sed opera se
sunt Christa
bus hominum
sunt impia &
nt impij & sic
spiritu glori
colere, illa
ant.

AD TITVM.

enumeratione probatur, sunt enim inquit,
abominabiles, inobedientes, & ad omne
opus bonum reprobj. Abominabiles quid-
dem, quia Deus eos abominatur tanquam
prophanos & scædos. Hoc probatur sequenti
membro, quia sunt inobedientes, vt qui
verbo Dei per ministros Euangelij prola-
to non obtemperant. Hoc rursus proba-
tur tertio membro, quia ad omne opus bo-
num sunt reprobj. Hinc primum obser-
uandum est, quòd non ex verbis, non ex
multarum rerum scientia iudicandum sit
de pietate hominis, sed ex recta vita & pijs
moribus, quæ pietatis, quæ in mente est,
indicia sunt, iuxta illud Ioannis: Qui fa-
cit iusticiam iustus est. Item, Non potest
arbor bona fructus malos facere. Quem-
admodum enim fides scaturigo est, vnde
manat vitæ innocentia & studium pieta-
tis & honestatis: Ita infidelitas est cameri-
na omnium scelerum & flagitiorum. De-
inde obseruandum, quo in loco Deus om-
nes, qui suo verbo non credunt, & iuxta
illud nõ viuunt, habeat, nimirum quod eos
tanq; prophanos & scædissimos abomine-
tur, donec resipiscant, & illorũ corda puri-
ficentur fide. Non enim vult mortem pec-
catoris, sed vt conuertatur & viuat. Ter-
tiò,



EPIST. PAULI

tiò, admoneant hæc singulos, præsertim ministros verbi, hæc grauißima Pauli sententia, fidem, quam verbis docent, vita & moribus exprimere, ne cum his seductoribus audiant abominabiles, immorigeri & reprobí, & idem ípsí contíngat, quod fabricis arcæ Noë, qui cum alijs parassent arcam, per quam à diluuió liberati sunt, ipsi in diluuió submersi perierunt.

SECUNDVM
CAPVT.

SVMMA CAPITIS

SECUNDI.

Episcopus ea, quæ sanæ doctrinæ congruant, doceat, singulos sui officij admoneat, nimirum vt ea faciant omnes, quæ ipsorum ætas & conditio postulant, sit ipse alijs omnibus probatis typus & exemplar, ne aduersarij habeant, quod reprehendant in doctrina & moribus, præsertim cum ipsa gratia Dei omnes ab impietate ad pietatis studium inuitet.

ORDO SECUNDI
CAPITIS.

Post-

A
Postquam
scopos ele
ostenderat Pa
capite Primu
officij (id quo
tiolæ propoñ
enumeratione
versatione &
trinam (quo
tio) differit.
alios, tanqua
præcedat, (c
nem retulim
rationem ge
& finalibus
causas iustit
completur.
ratoria conclu
claudit.
EXEG
CAPIT
At tu
sanam de
Tertia
cuius sensus


AD TITVM.

Postquam in primo capite quales Episcopos elegi, quosque reprehendi velit, ostenderat Paulus: Nunc opportunè in hoc capite Primum Episcopum sui admonet officij (id quod suprà tertiam huius Epistolæ propositionem feci.) Deinde per enumerationem de pia auditorum conversatione & vita, quæ decet sanam doctrinam (quod nobis est quarta propositio) disserit. Mox Episcopum iubet ut alios, tanquam omnis probitatis typus, præcedat, (quod ad tertiam propositionem retulimus.) His omnibus subnectit rationem generalem à causis efficientibus, & finalibus, ubi summam Euangelij, & causas iustificationis miro compendio complectitur. Postremo, breui & exhortatoria conclusione caput hoc secundum claudit.

**EXEGESIS SECVNDI
CAPITIS, CVM OBSERVATIONE
doctrinarum.**

**At tu loquere, quæ decent
sanam doctrinam.**

Tertia propositio est huius Epistolæ,
cuius sensus hic est. Cum sana doctrina sit,
quæ



EPIST. PAULI

quæ mentem à morbo & labe peccati sanat & liberat, dum promissio Dei prædicatur, & acceptatur fide, par est, ut ea quoque doceas, quæ decent hanc sanam doctrinam, eamque ornant. Decet autem, ut mores & vitam ita forment, qui hanc doctrinam recipiunt, ut non solum pietas in mente resideat, verum etiam in moribus refulgeat. Tu igitur, ut mores & vitam rectè instituunt singuli, pro decore suæ ætatis, sexus & officij, exhortando effcito. Hic duo observa, Prius, quòd non satis sit, si Episcopus tradat rectè iustificationis articulum, nisi etiam sedulus sit in doctrina morum. Posterius, quòd debeat Episcopus pro suo iure non obtemperantes seuerius castigare. Nam ad legitimam morum institutionem pertinent non solum doctrina, verum etiam correptio & castigatio in cessantibus.

Senes ut sobrii sint, graues, temperantes, sani fide, caritate, tolerantia.


Per enumerationem exponit, quid sana doctrina in singulorum moribus & vita postulet, ac primum enumerat virtutes, quæ senium pium potissimum ornant, atque eas præ-

ras præcipu
positis vicij
elle consue
sobrietatem p
lentia turpill
vicio opponi
re sopita om
lenibus max
tur oportet:
in omnibus r
lum esse, nec
loco gravita
vocat. voca
compositi si
quod sapiat
dam gravita
delira senum
rum plusquar
tio loco poni
σφοδρον c
caput. Huic
difficultas, n
lentia, quæ
dicam stultet
co vult, ut se
regri in fide
ximam, &
nec caritas se

A D T I T V M.

eas præcipuè commemorat, quarum op-
 positis vicijs, vt plurimum senes obnoxij
 esse consueuerunt. Inter has primo loco
 sobrietatem ponit, quæ ebrietati & temu-
 lentia turpissimo & non raro in senibus
 vicio opponitur. Vt enim mente ebrieta-
 te sopita omnia pietatis exercitia, quæ in
 senibus maximè vigere deberent, sopian-
 tur oportet: Ita sobrietate vigiliq; mente,
 in omnibus rebus honestis facilimum cur-
 sum esse, nemo non fatebitur. Secundo
 loco grauitatem ponit, quam græci *σεμ-
 νότητα* vocant, nimirum, cum mores ita
 compositi sunt, vt nihil conspiciatur, nisi
 quod sapiat seriam quandam ac veneran-
 dam grauitatem. Huic virtuti opponitur
 delira senum multorum leuitas, & mo-
 rum plusquam iuuenilis incōstantia. Ter-
 tio loco ponit temperantiam, quæ græcis
σωφροσύνη dicitur, de qua vide primum
 caput. Huic ex aduerso collocantur senum
 difficultas, morositas, & illa mentis temu-
 lentia, quæ facit vt senes repuerascere, ne
 dicam stultescere, videantur. Quarto lo-
 co vult, vt senes sint sani, id est, puri & in-
 tegri in fide erga Deum, caritate erga pro-
 ximum, & tolerantia, sine qua nec fides
 nec caritas seruari possunt, præsertim cum

V senes



EPIST. PAULI

senes multa quotidie videre cogantur, quæ
offendunt. Hic obserua quàm appositè
tribus membris perfectionem Christi-
anam complexus sit Paulus. Primum
membrum fides, sub qua comprehendere
oportet eas virtutes, quæ illi natura con-
iunctæ sunt, vt sunt spes, dilectio Dei, ti-
mor, inuocatio atq; gratiarum actio, &
aliæ, quas prima tabula requirit. Secun-
dum membrum est caritas, quæ ad omnia
præcepta secundæ tabulæ se extendit. Hæc
enim maioribus reuerentiã exhibet, in-
ferioribus parcit, paribus æqua largitur.
Breuiter, cuiq; suum, imò cuiq; de suo tri-
buit. Tertium membrum est patientia,
cùm fidei tum caritatis quædam conser-
uatrix. Vt enim impatientia sub cruce ex-
cutit fidem & caritatem: ita patientia ver-
bo Dei se subijcit, exercet, auget & conser-
uat vtramq;.

Anus similiter ut in statu,
qui sanctimoniam deceat, non
calumniatrices, non multo uino
seruientes, quæ honesta sunt do-
ceant, ut possint instruere adu-
lescentulas, ut maritos suos dili-
gant,

gant, ut
tæ sint, p
bonæ, sub

Hoc est, a
in suis morib
rem primo le
species subijc
quod requir
linguæ, cui
trix, de cuius
se Erasmm
cori est, sob
us esse pot
Deinde vu
hoc est, vult
tus. An non
inquit, Mul
hic autem
spondeo, p
terdictum e
quæ sequu
potius opu
quàm expli
Ne fer
Gener
orum seru

AD TITVM.

gant, ut liberos ament, ut honestæ sint, puri, domi manentes, bonæ, subiectæ suis uiris.

Hoc est, anus seruet decorum sanctum in suis moribus, dictis & factis. Poni- tem primo loco huius decori genus, mox species subiiciens. Prima species decori est, quod requirit veritatem, & suauitatem linguæ, cui opponitur lingua calumnia- trix, de cuius veneno & malo vide copio- se Erasmus de lingua. Altera species de- cori est, sobrietas vitæ. Quid enim turpi- us esse potest in vetulis, quàm ebrietas? Deinde vult eas, quæ honesta sunt docere, hoc est, vult eas esse honestatis magistra- tus. An non Paulus Timotheo scribens inquit, Mulieri vt doceat non permitto, hîc autem vt doceant aniculæ iubet? Re- spondeo, publicè docere mulieribus in- terdictum est, non autem domi. Porrò, ea quæ sequuntur de mulierum moribus, potius opus diligentia habent vt fiant, quàm explicatione vt cognoscantur.

Ne sermo Dei blasphemetur.

Generalis ratio præcedentium offici- orum senum, anuum & adolescentularum,

V 2 & de-



EPIST. PAULI

& deberet hæc ratio plus mouere homines, quàm omnes diuitiæ, & pompæ totius mundi. Nam significat honestate morum ornari verbum Dei, & contra turpibus moribus fœdari quodammodo, adeoq̃ gloriam Dei, quantum in hominibus est, diminui.

Adolescentes similiter adhortare, ut sint modesti.

Requirit ab adolescentibus σωφροσύνην, quæ in omnibus rebus seruat prudentiam, vt iam aliquoties dictum est, sed cur hæc solam requirit? Nunq̃ potest esse sola, habet. n. comites omnes virtutes, iusticiam, temperantiam, sobrietatem, ueritatem, candorẽ, grauitatem, dexteritatem & alias, quas Paulus hîc breuitatis gratia non enumerat, sed sub genere complectitur.

Per omnia præbens teipsum exemplar bonorum morum.

Pars tertiæ propositionis est de doctrina & moribus Episcopi, & est sensus: Tu qui alios doces, fac, vt eorum quæ doces, sis auditoribus typus & exemplar, vt te intuentes habeant speculum rectæ formandæ vitæ. In primo autem dictum est quantum

rum referat,
docet, vita

In doct
uitatem, fa
prehenlib

Est hîc E
scram orat
enim ostend

generis in l

in genere, c

bonorum c

bona oper

ut iuuenili

finat se con

tas omnes

in dictis, fa

Requirit g
uerentiam
um animo
irreprehen
cantur, & c
effutiat, qu

Vt a
nihil ha
cat mal

AD TITVM.

rum referat, vt quis docet alios, ipsa quæ docet, vita & moribus exprimat.

In doctrina integritatem, grauitatem, sanum sermonem, irreprehensibilem.

Est hîc Eclipsis verbi, quæ satis hîc obscuram orationem reddit, subintelligitur enim ostende aut aliud simile. Est autem generis in species distributio, dixit enim in genere, quod Titus debeat esse typus bonorum operum quæ docet, nunc illa bona opera recitat. Requirit integritatem, ut iuuenilibus corruptelis & illecebris non sinat se corrumpi. Continet autem integritas omnes virtutes, quæ modum seruant in dictis, factis aut gestibus apud alios. Requirit grauitatem, quæ ad omnem reuerentiam honestam componit adeuntium animos. Requirit sanum sermonem, & irreprehensibilem, vt singula suo loco dicantur, & caueatur, ne quid per temeritatē effutiat, quod reprehensione sit dignum.

Vt aduersarius reuereatur, nihil habens, quod de uobis dicat mali.

V 3 Tam-



EPIST. PAULI

Tametsi plures fines sunt, cur Episcopus his virtutibus studeat ut emineat, unum tamen hic ponere satis esse duxit, qui merito Episcopum excitare debeat ad præstandum officium. Hic obseruandum quod dupliciter peccant ministri verbi scelerate viuentes. . Primum enim mandatum Dei violantes, iram Dei sibi thesaurisant. Deinde, alios ad peccandum liberius & securius suo exemplo inuitant, unde & duplici poena se dignos esse sciant. Hic locum habet doctrina de scandalo, de quo consulendi sunt loci Philippi.

Seruos hortare, ut suis dominis subiiciant sese.

Partes officij seruorum enumerat, ac primo loco suo more genus collocat, nimirum subiectionem. Vnde obseruandum, quod Deus approbet gradus inter homines, ut alij possint esse domini, alij serui, contra barbaricam ἀναρχίαν anabaptistarum. Deinde discant hinc serui pñ, quod ipsorum subiectio & opera seruilia placeant Deo, si modo ex fide fiant.

In omnibus placere studentes,

Hic

Hic ge
nibus enim
Dei non in
quam homi
Exemplum
ni pñ, qui im
runt summa
aras, ut dici

N

Hoc est
tumacia be
teruè impe
tradicere, f
lum irrita
am arguit
& fide pro

N

Debe
bona aug
id quod i
Sed

dentes.

Anti
quirit eni
in omnib
pleriq; fa

AD TITVM.

Hic genus pro specie ponitur. In omnibus enim scilicet licitis, hoc est, quæ lex Dei non improbat, alioqui magis Deo quam hominibus obtemperandum est. Exemplum sit Daniel & Ioseph, & alij multi piij, qui impijs etiam dominis præstiterunt summam obedientiam, sed vsq; ad aras, vt dici solet.

Non responsatores.

Hoc est, serui debent absq; omni contumacia benignè omnia agere, & non proteruè imperio dominorum suorum contradicere. Proterua enim dicacitas, non solum irritat dominos ad iram, verum etiam arguit animum plenum malevolentia, & fide prorsus vacuum.

Non suffurantes.

Debent serui dominorum suorum bona augere, nihil per dolum surripientes, id quod in seruis vulgatissimum putatur.

Sed fidem omnem ostendentes.

Antithesis est superioris membri. Requirit enim, vt fidelitatem præstent serui in omnibus, non ad oculum seruientes, vt pleriq; facere consueuerunt, Rationem pul-

EPIST. PAULI

cerrimam & verissimam his subiungit Ambrosius, inquit, Nemo fidem Dei custodiens, infidelis potest esse hominibus.

Vt doctrinam seruatoris nostri Dei ornent in omnibus.

Efficacissimum hoc argumentum, ad retinendum omnes in officio esse deberet. Et tamen generalis ratio superiorum hypothesis esse videtur, tamen potissimum in eruditionem & consolationem seruorum hoc loco adhibetur. Nam & docet seruos, quod ipsorum seruales operæ placeant Deo, & ne abiectiora, & quæ parum decora videntur, refugerent, consolatur eos & monet, quod doctrina seruatoris nostri illa ipsa seruili obedientia ornatur, vtut in speciem quod agitur à seruis, contētibile esse videatur, atq; ita fides non solum bonorum operum effectrix est, verum etiam facit, vt ipsa opera Euangelio ornamento sint, qua re nullum maius operum decus esse potest.

Apparuit enim gratia Dei salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate,

etate, &
bus, sobri
mus in p
tes beata
ritionem
saluator
qui ded
bis, ut re
quitate,
pulum
bonori

Sup
vr decet sa
ra, efficace
nem, nim
& redem
ñcit. Sum
mate abs
ideo ded
berati à
uamus,
par est,
consequ
dum ne

AD TITVM.

etate, & mundanis cupiditati-
bus, sobriè, & piè, & iustè uiua-
mus in presenti seculo, expectan-
tes beatam illam spem, & appa-
ritionem gloriæ magni Dei, ac
saluatoris nostri Iesu Christi,
qui dedit semetipsum pro no-
bis, ut redimet nos ab omni ini-
quitate, & purificaret sibijpsi po-
pulum peculiarem, sectatorem
bonorum operum.

Superioribus hypothesibus de rectè,
vt decet sanam doctrinam, formanda vi-
ta, efficacem rationem, eamque commu-
nem, nimirum à fine professionis nostræ,
& redemptionis per Christum præstitæ sub-
iicit. Summa autem rationis hoc Enthime-
mate absoluitur. Deus ex mera sua gratia
ideò dedit Filium liberatorem, vt nos li-
berati à peccato, sobriè, & iustè, & piè vi-
uamus, expectantes promissa bona, Ergo
par est, vt modo velimus promissa bona
consequi, vt ita viuamus, quemadmo-
dum nostræ vocationis ratio postulat.

status ty lvi.

Enthymema

V 5 Obser-



EPIST. PAULI

Obferuanda imprimis doctrina, eos quidam qui vanè de fide gloriantur, citra morum emendationem arguens vanitatis, pios verò confirmans & vrgens, vt in pietatis studio, postquam Christum rectè didicerunt, perseuerent. Nam is demum beatus iudicabitur, qui vsq; ad finem perseuerauerit. Non enim ita liberati sumus à iure legis, quæ perpetua voluntatis Dei norma est, vt postea liceat nobis impietati, & carnalibus desiderijs indulgere: verum potius, vt totis viribus bellum indicamus, vniuersæ viciorum cateruæ, muniti panopliâ Christiana, contra omnes insultus Diaboli, carnis nostræ, & improbitatis mundi. Hi tres veluti iurati nostri hostes nunquam stertunt, sed perpetuò stant in armis vt incautos obruant, & obrutos perdant. Atq; hæc est summa præsentis rationis. Verum quia in ipsa, tum summam totius Euangelij, tum vitæ Christianæ regulam paucissimis verbis sanctissimòq; compendio complexus est Paulus, volo singulas partes huius præclaræ ac plusquam aureæ sententiæ excutere, ita futurum spero, vt causas iustificationis nostræ, modum & finem luce clarius perspiciamus,

GR A

GR A
de Iesu Ch
gratia & m
torem, hæc
intelligend
primùm ca
p. de salut
causam int
tur salus, n
dem mate
minum, q
gelium pi
dum disc
prijs effe
salutaris
& offeren
mortem &
dicit, AP
lutis præ
in veteri
erat typi
ex vnica l
quantum
lutem, Sec
BVS, qu
rem, exit
pertinere
de parti

AD TITVM.

GRATIA DEI, hoc est, Euangelium de Iesu Christo, quem Deus pater ex mera gratia & misericordia mundo dedit saluatorem, hæc enim omnia gratiæ nomine hîc intelligenda sunt. Habes itaq; hoc loco primùm causam antegressam seu προηγουμένην salutis generis humani, habes etiam causam instrumentalem, per quam offertur salus, nimirum Euangelium, habes itidem materiam, nimirum Christum dominum, quem gratia offert, quem Euangelium prædicat. Hic obiter obseruandum discrimen Legis & Euangelij à proprijs effectibus sumtum. Euangelium est salutaris doctrina, id est, salutem nuncians & offerens. Lex vero, quæ iram operatur, mortem & damnationem nunciat. Cum dicit, APPARUIT, significatur clara salutis prædicatio, non obscura, qualis fuit in veteri testamento, quando inuoluta erat typis & vmbrijs, paucis quibusdam ex vnica Iudæorum gēte obscurè cognita, quantum tum satis erat credentibus in salutem. Sequitur OMNIBVS HOMINIBVS, quòd cum contra Iudaicum errorem, existimantium Messiam ad se solos pertinere, tum etiam contra tentationem de particularitate adiectum est. Gratia enim



EPIST. PAULI

enim omnibus offertur. Si quis itaq; eius non fuerit particeps, propria culpa hoc euenit, non gratiæ illucescentis instar solis toti terrarum orbí.

VT ABNEGATA IMPIETATE, ET MVNDANIS CONCVPISCENTIIIS, his verbis duo docet pios, qui volunt esse participes illucentis gratiæ. Prius est, quid omittere eos oportet. Posterius, quid facere deceat, quæ duo Christianorum bene viuendi regulam continent. Porro, ea quæ omittere oportet duobus generibus complexus est Paulus: Alterum impietas est, alterum mundana concupiscentia. Sub impietate, vt sub genere, omnia commissa peccata, immediatè contra Deum collocantur, vt sunt superstitio, diffidentia, vacuitas timoris Dei & fidei, idololatria & reliqua peccata, quæ aduersus primam tabulam committuntur. Sub humanis concupiscentijs ponito inobedientiam, iram, conuicia, lites, emulationes, libidines, furta, mendacia & alia carnis opera, quæ ad Galatas 5. recitantur, & híc breuitatis gratia in generis ambitu contineri intelliguntur. Atq; hæc prima pars regulæ Christianæ vitæ est, quam qui negligit,

gligit, Ch
vnulquisq;
dem euig
nemo seipl
tum, seruus
gentij sanct
linquar ini
de peccato
cundum I
ad Domin
rendum.
& omni p
tentia mis
dum pñs
bus mem
generalia
Galatas &
tur. SOB
virtutes,
sobrietas
ctus plac
in primo
cis. IVS
cum pro
tinet. P
uerfum,
patientia
onem 2c.

AD TITVM.

gligit, Christianus esse non potest. Quare vnusquisq; sui salutis sit memor, & tandem euigilet & relinquat mortis opera, nemo seipsum decipiat, qui facit peccatum, seruus est peccati. Huc pertinet Fulgentij sanctissima admonitio dicentis: Relinquat iniquus cogitationem suam, quae de peccatorum remissione desperat, & secundum Prophetæ dictum, conuertatur ad Dominum, quia multus est ad ignoscendum. In hoc multo, nihil deest, in quo & omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est. Deinde, quid faciendum pijs dum viuunt in hac societate, tribus membris absoluit, quæ membra, quia generalia sunt, pro suis speciebus, quæ ad Galatas & alijs locis recitantur, collocantur. SOBRIETAS complectitur omnes virtutes, quæ nos ipsos attingunt, vt sunt sobrietas mentis, & vitæ modestia, affectus placidi, temperantia &c. vide supra in primo capite declarationem huius vocis. IUSTICIA omnes virtutes, quibus cum proximo agendum est, hoc loco continet. PIETAS porro cultum Dei vniuersum, vt timorem, fidem, dilectionem, patientiam, inuocationem, gratiarum actionem &c. sua complectitur latitudine. Obseruan-



EPIST. PAULI

seruandum hîc, quàm miro compendio vitam & mores Christianos complexus sit Paulus. Dignus proinde hic locus est, non dico vt aureis literis scribatur, sed potius vt intimis penetralibus cordis insculptus, perpetuò nostri officij nos admoneat, & ad vitam nostra professione dignam excitet.

IN HOC SECVLO, hoc addit, quia non satis est vno die aut breui tempore rectè viuere. Vocatio enim nostra sanctam vitam, eamq; perpetuò duraturam requirit. Sequitur fructus pietatis, nimirum vt res speratas & creditas videlicet, æternam beatitudinem & quæ illi adiuncta sunt bona consequamur, per aduentum saluatoris nostri. Posuit enim metonymia hebraica spem pro rebus speratis. Hic obserua, confirmari fidem aduentus Christi ad iudicium, resurrectionis mortuorum & vitæ æternæ. Hæc enim vita contingit per aduentum Christi, quod fieri nequit sine resurrectione. Temporis circumstantia subiungitur, quæ est apparitio gloriæ magni Dei, id est, aduentus gloriosus, non humilis, qualis prior aduentus fuit in carnem. Epitheton MAGNI, adiecit, vt non Patrem maiorem Filio doceret, quemadmodum

dum imp
verum vt
magnum fa
sa præstand
nationem, c
Debent eni
turalibus c
nostra neg
quod nihil
omnia ex r
submittam
cum virgini
verbum t
gnus, indi
VATOR
epitheton,
ris ad Chr
rum consol
pijs menti
possit hic
ferat, vt c
existat. P
ipsum pr
nostrum l
go veniet
tes, sed ser
turba iust
Modus, c

LI
o compendi
os complem
e hic locus est,
ribatur, sed po
us cordis intel
ficij nos adme
i professione de

hoc ad h. quia
breui tempore
i nostra sanctorum
uraturam requi
ratis, nimirum vt
delicet, æternam
diuina sunt bo
rum saluatoris
ymia hebraica
c. observa, con-
nisti ad iudici-
uorum & vite
ontingit per ad-
ri nequit sine re-
cumstantia sub-
o gloria magni
sus, non humili-
fuit in carnem
it, vt non p
s, quem ad
am

AD TITVM.

dum impij Arriani sacrilegè mentiuntur,
verum vt significaret Christum nostrum,
magnum satis ac potentem esse ad promif-
sa præstanda, ne quis carnis secutus imagi-
nationem, de his promissis Dei dubitaret.
Debent enim excludi prorsus de causis na-
turalibus disputationes, quoties salutis
nostræ negocium agitur, & statuendum,
quòd nihil sit impossibile apud eum, qui
omnia ex nihilo condidit. Quare potius
submittamus nos verbo Dei, & dicamus
cum virgine matre: Fiat nobis secundum
verbum tuum. Quis autem sit ille ma-
gnus, indicat, cum subiungit: ET SAL-
VATORIS NOSTRI, nam vtrumq;
epitheton, videlicet magni Dei & saluato-
ris ad Christum referendum est, nec pa-
rum consolationis hæc epitheta adferunt
pijs mentibus. Prius enim monet, quòd
possit hic saluator præstare quod promi-
serat, vt qui magnus & omnipotens Deus
existat. Posterius docet, quòd velit illud
ipsum præstare, quod promiserat. Nam se
nostrum saluatorem esse fatetur. Non er-
go veniet hic iudex, damnaturus creden-
tes, sed seruaturus, vniuersa incredulorum
turba iussa in ignem æternum discedere.
Modus, quo saluator est factus, sequitur:

QVI



EPIST. PAULI

QVI DEDIT, inquit, **SE IPSUM PRO NOBIS**. Est enim victima factus pro nobis. Singula verba singularem Emphasin habent. Ille magnus Deus dedit non argentum, sed seipsum in mortem, ut sua morte mortis imperium destrueret, idque non pro bene meritis, sed pro nobis ingratissimis, proditoribus & peccati mancipiis. Venerandum potius quam scrutandum mysterium. Hic conquiescat caro, ac fides nitatur promissis huius seruatoris, ita futurum est, ut quod caro non percipit, spiritus eo fruatur, per eundem nostrum seruatorem Iesum Christum. **Finis sequitur, UT REDIMERET** &c. hic multa obseruanda sunt. Primum, quod sine morte Christi nulla sit redemptio. Secundò, quod non ab vno peccato tantum, sed ab omni iniquitate, id est, ab omni peccato, nimirum originali & actuali, magno & paruo. Nam cum peccatum iniquitas est, ut definit Ioannes, & Christus redemit ab omni iniquitate, sequitur quod soli Christo omnis remissio peccatorum debeat. Tertio, destruitur hic, Primum error eorum, qui Christum passum solummodo pro originali peccato docuerunt, nos autem alia debere satisfactionibus, nescio quibus, abolerere.

lere. Deim
confutatur
honorem C
superbia, ne
nabilis esse p
mur de fuga
dignius rata
ea spreta pe
aliud est, c
conspurcar
finis sequit
POPVLV
leos habet
acutissimo
bum mon
qui sangui
mus a pecca
dibus macu
quam Chr
bus concu
um execra
ditur, SIE
plius esse
cuius sang
Quare de
animo fac
quo prem
ro populu

LI
P SVM P R M
factus pro no
rem Emphat
dedit non a
mortem, vlt
destrueret, id
pro nobis ingre
ti mancipis. Ve
seruantum my
t caro, ac iudi
ruatoris, ita
on percipit, sp
m nostrum serue
Finis sequitur,
c. hic multa ob
uod sine morte
Secundo, quod
n, sed ab omni
a peccato, nimit
magnò & paruo
uitas est, vt de
redemit ab omni
soli Christo om
tebeatur. Tertio,
ror eorum, qui
modo pro origi
nos autem
cio quibus
etc.

AD TITVM.

lere. Deinde etiam error Papistarum hic
confutatur, qui operibus suis tribuunt
honorem Christo debitum, qua re nulla
superbia, neq; maior, neq; magis abomi
nabilis esse potest. Quartò hic admone
mur de fuga peccatorum. Quid enim in
dignius tãta redemptione esse potest, quàm
ea spreta peccatis indulgere, quod nihil
aliud est, quam redemptionem oblatam
conspurare & contemnere. Redemptionis
finis sequitur, VT PURGARET SIBI
POPVLVM. Hic redemptionis finis acu
leos habet ad sanctè formandam vitam
acutissimos. Primum enim purgandi ver
bum monet, nequaquam decere, vt nos
qui sanguine precioso Christi purgati su
mus à peccato, rursus nos peccatorum sor
dibus maculemus, quod nihil aliud est,
quàm Christi preciosum sanguinem pedi
bus conculcare, qua re nullum sacrilegi
um execrabilius esse potest. Deinde ad
ditur, SIBI IPSI, significans nos non am
plius esse nostri iuris, sed ipsius imperio,
cuius sanguine sumus redempti, obnoxios.
Quare decet, vt iussa liberatoris nostri ex
animo faciamus, excusso iugo seruitutis,
quo premebamur sub regno Satanæ. Por
rò populum peculiarem vocat, græcè si
gnifi



EPIST. PAULI

gnificantius *ἡδύσχοι*, eum qui, ut res sui domini tantum curet, ab ipso Domino è numero aliorum electus est. Non ergo debet hic populus rebus Domini sui neglectis, alijs populis esse similis, qui ea quæ caro & mundus suadēt, facit potius, quàm quæ Deo placent. Postremò addit, SECTATOREM BONORVM OPERVM. Græca vox ardentissimum zelum requirit ad præstanda opera bona. Nō itaque par est esse segnes, sed feruidos & acres ad præstanda quæ Deus requirit opera. Obseruanda proinde hoc loco non solum necessitas bonorum operum, verum etiam fuga voluntarij peccati. Vbi enim talis feruor est, & ardens zelus pietatis, iusticiæ & sobrietatis, ibi voluntarium peccatum nullū adesse potest. Nam vbi voluntarium peccatum est, ibi S. sanctus non est. Vbi autē Spiritus sanctus non est, ibi nec fides esse potest. Vbi non est fides, ibi nihil est rectum, nihil Deo placens. Ex his itaque consequitur, nulla posse adesse bona opera, vbi peccatur voluntariè. Hæc igitur alta mente reponenda sunt de fine redemptionis seu regenerationis, quò etiam spectat illa ad Ephes. 2. sententia: Gratia estis seruati per fidem, & hoc non ex vobis

bis, Dei
quis glori
creati in C
præparauit
Retrenemu
subiugemu
perio Spiri
contra infi
tatem, & r
nem, ne h
amissa, ni
reliquum
Hæ
Cor
thesium,
Paulus a
præstanda
uos sanar
fides, qu
R
perio.
Sc
admon
stor tria
ros, qu
calcarib
contum

AD TITVM.

bis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in ipsis ambulemus. Retrenemus igitur voluntatem carnis, & subiugemus ipsam magis ac magis imperio Spiritus, petamus auxilium à Deo contra insidias Diaboli, carnis importunitatem, & mundi improbam conuersationem, ne his victi excutiamus fidem, qua amissa, nihil præter extremam perniciem reliquum est.

Hæc loquere & exhortare.

Conclusiuncula est superiorum hypothesis, in qua suum Episcopum excitat Paulus ad seriam diligentiam in officio præstandam. Loquere, id est, doce ignauos sanam doctrinam, Hortare, scilicet desides, quos docuisti.

Reprehende cum omni imperio.

Scilicet non obsequentes doctrinæ & admonitionibus. Habet enim quilibet pastor tria genera hominum, nimirum Ignaros, quos docere oportebit: Desides, qui calcaribus urgendi sunt: Inobedientes & contumaces, qui sunt seuerius obiurgandi. Hic

X 2 di. Hic

EPIST. PAULI

di. Hic ergo monetur Episcopus & quilibet pastor, vt rectè secet sermonem Domini, & singulas eius partes rectè applicet, vt omnes fiant, vt suprà dictum est, sani in fide, dilectione & patientia. Cum omni imperio, ideo adiectum arbitror, vt Episcopus cogitet, se fungi vice Christi. Quare non decet Episcopum, tanquam priuatum hominem, segnus aut mollius agere, sed tanquam Legatum summi imperatoris, cum autoritate omnia, quæ requirit officium, facere.

Nemo te contemnat.

Hac huius conclusionis appendice, cum ipsum Titum, tum Cretenses sui monet officij. Titum quidem, vt agat omnia, siue doceat, siue hortetur, siue obiuret, vt nullus possit eum meritò contemnere, neq; propter vitam, neq; propter doctrinam, quod fit, dum omnia sobria grauitate, & graui sobrietate (sine quibus autoritatem interciderè necesse est) quasi condiuntur. Cretenses verò, vt non asperè neque maliciosè accipiant obiurgationes, verum potius obiurgati emendent se, ac in viam redeant, scientes, quòd non ipsorum ignominia, sed salus quærat. Hic pri-

primum e
vt caueam
tus, id que
accidit, qu
ribus fert
& inconsta
nisterio acc
tius vt ha
inde, mor
honore ha
ter & fide
lutem cor

T

SV

SVbe
Sobec
ficia ca
ant, me
& qual
Conten
monito

AD TITVM.

primum obseruent omnes ministri verbi,
vt caueant ne sibi ipsi sint causa contem-
tus, id quod (proh dolor) in non paucis
accidit, quorum alij potationibus, alij scur-
rilibus sermonibus, alij leuitate morum
& inconstantia, alij alijs modis sibi & mi-
nisterio accersunt ignominiam, digni po-
tius vt haris quam aris præficerentur. De-
inde, monentur auditores, vt in precio &
honore habeant eos ministros, qui graui-
ter & fideliter opus Domini faciunt, in sa-
lutem commissi sibi gregis Christi,

TER TIV M
CAP V T.

SVMMA TERTII
CAPITIS.

Subditi superioribus debitam præsent
obedientiam, omnes, vicijs relictis, of-
ficia caritatis mutua sibi inuicem exhibe-
ant, memores & quales antea ipsi fuerint,
& quales nunc sint ex benignitate Dei.
Contentiones sophisticas, ac hæreticos ad-
monitos vitent.

X ; OR-

EPIST. PAULI
ORDO CAPITIS
TERTII.

Aptissimus ordo est. Postquam enim in secundo capite hypotheses quaedam enumerasset de piè formanda vita, hîc opportunè ex Rhetorum præscripto, eas omnes ad certas theses, nempe duas reuocat. Quarum prima est, Omnes magistratui obedientiam præstent. Posterior, omnes colant inter sese mutuam dilectionem, & iuuent se mutuis officijs. Sed si priorem conferas cum posteriori, erit eius quædam hypothesis, atq; ideo illam suprâ feci huius Epistolæ quartam propositionem, sub qua complexus sum cum thesi de obedientia erga magistratum, omnes superiores hypotheses. Huic thesi subiungit confirmationem geminam, mox breuem conclusionem addens, atq; hæc est Prima pars huius capituli, constans propositione, confirmatione, & conclusione. Secunda pars capituli est, de vitandis quæstionibus sophisticis, quam fecimus suprâ quintam huius Epistolæ propositionem. Huic confirmationem addit, ac ita secunda pars capituli constat propositione & confirmatione. Tertia pars capituli est, de vitandis

vitandis
cimus sex
stolæ, add
bimembri
firmatione
ria quædar
fuerum est

EXE
CAPI

Ad
patibu
sint, ut
Obse
ni debeat
qua re
confuta
stratum
lunt.

V
sint p
lè dic
mode

AD TITVM.

vitandis hæreticis, quam partem supra fecimus sextam propositionem huius Epistolæ, addit & huic rationem, atq; ita fit bimembris, constans propositione & confirmatione. Quæ sequuntur sunt familiaria quædam & salutationes, quibus consuetum est claudi Epistolas.

EXEGESIS TERTII
CAPITIS, CVM OBSERVATIONE
tionem doctrinarum.

Admoneto ipsos, ut principatibus & potestatibus subiecti sint, ut obtemperent.

Obserua hîc primum quod Christiani debeant obedientiam magistratui, de qua re vide Locos Philippi. Secundo, confutantur hîc Anabaptistæ, qui magistratum ciuilem è medio sublatum esse volunt.

Vt ad omne opus bonum sint parati, ne de quoquam male dicant, ne sint pugnaces, sed modesti, omnem exhibentes

X 4 man

EPIST. PAULI
mansuetudinem erga omnes ho-
mines.

In hac thesi superiores secundi capituli hypotheses contineri dixi, quæ collatione contrariorum amplificatur, ut modum mutuum officiorum expressius deliniet Apostolus. Primum enim sublatum vult contentum proximi, qui à superbia ortum trahit. Deinde lites, quæ ex eadem radice pullulant. His opponit humanitatem & mansuetudinem, quarum Prior humanitas ἐπιείκεια græcis est, quæ propriè virtus est, ex sincero cordis affectu manans, & ratione affectibus minimè turbata. Hæc omnia in meliorem partem accipit, non sequens ἀκρεβодίκαιος, ideoque fouet proximum, & non propter leuia errata vel contemnit vel reijcit. Posterior, mansuetudo est græcis πραότης, quam Plato definit tranquillitatem & statum mentis, qui efficit ut qui illa præditus est, non facile commoueat. Obseruandum itaque hoc loco, quod, quemadmodum superbia siue contemptus proximi & lites, mutua officia dilectionis impediunt: Ita eadem promoueant & alant humanitas & mansuetudo. Nota distributionis ad status & con-
ditiones

ditiones
enim frat
dire debet
fuetum te

Nar
do amer
tes, ser
uolupt
& inui
alios o

Rat
confider
quibus v
sumus. H
ca. Acut
nostra v
contem
tuam d
vicia ex
uent, v
videm
Ex hoc
primis.
lerum r
cundò,

AD TITVM.

ditiones hominum referenda est. Nullus enim status, nulla hominis conditio impedire debet, quo minus humanum & mansuetum te præbeas erga omnes.

Nam eramus & nos aliquando amentes, immorigeri, errantes, seruiens cupiditatibus & uoluptatibus uarijs, in malicia & inuidia degentes, odiosi, alij alios odio prosequentes.

Ratio propositionis prior sumta est à consideratione priorum viciorum, quibus vel aliquando, vel adhuc obnoxij sumus. Huc illud Christi de trabe & festuca. Acute enim aliorum uicia cernimus, nostra vel non consideramus, vel ut leuia contemnimus. Quare ad fouendam mutuam dilectionem, nō parum facit propria uicia considerare. Nam ea mox nos mouent, ut mitius agamus cum alijs, quos uidemus in eodem nobiscum hæere luto. Ex hoc ergo loco obseruanda sunt hæc imprimis. Primum, conscientia priorū scelerum nos ad parcendum alijs inuitet. Secundò, priora scelera pios in officio continent,

X 5

EPIST. PAULI

neant, ne vel superbiant ob dona collata,
 vel securitati se rursus dedant. Tertiò, qua-
 les nam simus extra Christum, nimirum
 extremè miseri, ostenditur. Tribuit enim
 septem attributa ñs, qui sunt extra Chri-
 stum. Primum enim amentes seu stultos
 eos appellat. Verè enim stulticia est omnis
 sapientia carnis sine noticia Christi. Secū-
 do, vocat immorigeros, inobedientes.
 Nam sine Christo nec Deo vlla nec homi-
 ni vera obedientia præstari potest. Tertio,
 vocat errantes. Aberrat enim à vera salu-
 tis via omnis, qui ignorat Christum salu-
 tis viam. Quarto, seruos cupiditatum &
 voluptatum appellat, eò quod spiritus
 imperio non sint subditi, sed càrni solum-
 modo, quæ ea quærit, quæ sibi suauia esse
 videntur. Quinto, eos in malicia & inui-
 dia degere asserit. Huc enim impellit do-
 mesticus hospes, peccatum originis, non
 domitum ac repressum lege Dei per Spiri-
 tum sanctum. Sexto, odiosos appellat, di-
 gnos odio propter scelera & turpitudi-
 nem. Septimo, inuidentes sibi inuicem.
 Hic obseruandum est, quod Paulus non
 solum hac descriptione depingit impios
 nondum conuersos ad Christum, sed eti-
 am horrari credentes vult, vt virtutes, quæ
 his

his oppo
 vt sint m
 dentes, ne
 acq̄ita de

At
 manita
 stri De
 cia, qu
 miseric
 uacur
 uation
 effudi
 Christi
 ut iusti
 des eff
 uitæ

Se
 redeme
 ius sur
 nerati a
 vitam
 rione, r
 nos, V

AD TITVM.

his opponuntur vicij, sectentur, nimirum
vt sint non stulti iam, sed in Christo pru-
dentes, non inobedientes sed obedientes,
atq; ita de cæteris,

At postquam bonitas & hu-
manitas apparuit seruatoris no-
stri Dei, non ex operibus iusti-
ciæ, quæ fecimus nos, sed ex sua
misericordia seruauit nos, per la-
uacrum regenerationis & reno-
uationem Spiritus sancti, quem
effudit in nos copiosè, per Iesum
Christum seruatorem nostrum,
ut iustificati ipsius gratia, hære-
des efficeremur secundum spem
uitæ æternæ.

Secunda ratio propositionis sumpta à
redemptionis & regenerationis finibus, cu-
ius summa est. Nos sumus redempti, rege-
nerati ac iustificati gratis. Ergo par est, vt
vitam & mores instituamus, hac redem-
tione, regeneratione & iustificatione dig-
nos. Verum nunc ideo breuius hanc sen-
ten-

EPIST. PAULI

tentiam explicabo, quia præcipua eius membra in 2. capite attingi. Primo loco causas salutis, non in nobis, sed in saluatore nostro Deo collocat, nimirum bonitatem, *Εὐλαβρωπία*, & misericordiam, de quibus in secundo capite dictum est. Deinde occurrit obiectioni Iusticiariorum & Phariseorum de operibus, inquit: Non ex operibus iusticiæ, quæ faciebamus nos. Hic duo observa. Prius, quod opera non sint causæ iustificationis nostræ, nec merita. Posterius, quod Paulus hîc ab exemplo argumentetur, quasi dicat, cum Deus nobis sine nostris operibus & meritis ex mera bonitate tantam salutem præstiterit, dignum est ut nos, ipsius Filij, Patris exemplum secuti, hominibus qui nihil nobis boni fecerunt, beneficiamus. Huc Christi exhortatio pertinet: Estote misericordes sicut pater &c. Pignus & argumentum donatæ salutis addit, nimirum Baptismum, quem vocat lauacrum regenerationis, metonymia hebraica. Nam symbolon pro re posuit. Porro hæc periphrasis Baptismi multiplicem doctrinam continet. Primum enim, quæ sint Christi beneficia, indicat, nimirum abluere à peccato, & regenerare ad vitam æternam. Secundo,

cundo, d
ptismus, i
lutionis &
Christum.
tio, monet
nihil iuuat
peccati, qu
est, per mo
onem spir
dilectione
ptismi, in c
renouatio
aqua virt
regeneran
tus sanctu
stum cred
abluat & n
ne viuific
Hunc Sp
qui est ca
imbecilli
dio perg
saluos no
renati, Sp
dè, qui r
bedientia
quod qu
vita appa

AD TITVM.

cundo, docet quare sit sacramentum Baptismus, nimirum quòd sit eiusdem ablu-
tionis & regenerationis, quæ fiunt per
Christum, sigillum & symbolon. Ter-
tio, monet nos fidei, sine qua Baptismus
nihil iuuat. Quarto, admonet nos fugæ
peccati, quæ fit per regenerationem, hoc
est, per mortificationem carnis, viuificati-
onem spiritus, vnde merito ad mutuum
dilectionem moueri deberemus. Vis Ba-
ptismi, in quo sita sit, exprimit, cum addit:
renouationem Spiritus sancti. Non enim
aqua virtutem abluendi spiritualiter, &
regenerandi vim vllam habet, sed Spiri-
tus sanctus virtus est, qui facit vt in Chri-
stum credamus, qui nos sanguine quidem
abluit & morte mortificat, & resurrectio-
ne viuificat, de qua re agit hîc Paulus.
Hunc Spiritum dicit effusum opulentè,
qui est causa adiuuans nos in hac virium
imbecillitate, vt possimus in pietatis stu-
dio pergere. Deus enim misericordia sua
saluos nos fecit per Christum, cuius gratia
renati, Spiritum sanctum accepimus abun-
dè, qui nos iuuat ad præstandam Deo o-
bedientiam. Vnde obseruandum est,
quòd quicquid boni in Christianorum
vita appareat, id totum huic radici, quæ
est



EPIST. PAULI
est SPIRITVS SANCTVS, tribui de-
beat.

Fidelis sermo, & de his uolo
te asseuerare, ut studeant bona
opera tueri, qui crediderunt
Deo.

Conclusio est primæ partis huius ca-
pitis, constans comprobatione & repeti-
tione. Comprobatione enim exigit seri-
um studium & seriam curam doctrinæ
profitæ. Repetitione verò ipsam proposi-
tionem rursus ponit ob oculos.

Hæc sunt honesta & utilia
hominibus.

Rationem ab honesto & utili, quæ
duo maximè hominem trahere solent, at-
texit.

Stultas autem quæstiones &
genealogias & contentiones ac
pugnas legales cohibe.

Hæc est quinta huius Epistolæ pro-
posi-

posio. N
re, quæ igr
nihil condi
formandar
net, signifi
debere vnil
quam, quæ
nestis mor
rentiones c
de iusticia

Sunt

Ratio
frutiles &
genda,
narorem,
quod ad p
conducit.

Hæc

unam
nem ui

Sext
propositi
mini: Car
dum hoc
quamus

AD TITVM.


positio. Non hic prohibet Paulus quæ-
re, quæ ignoramus vtilia, sed stultas, id est,
nihil conducendas ad pietatem, aut vitam
formandam, fugiendas quæstiones mo-
net, significans Episcopum in omnibus
debere vtilitatem quærere, vtilitatem, in-
quam, quæ sita est in sana doctrina, & ho-
nestis moribus. Pugnæ legales sunt con-
tentiones de lege & ceremonijs, imò etiam
de iusticia legis.

Sunt enim inutiles & uanæ.

Ratio huius quintæ propositionis,
inutiles & superuacua quæstiones sunt fu-
giendæ. Hæc ratio monet pium concio-
natorem, vt nihil quærat, nihil doceat, nisi
quod ad pietatem & vitam formandam
conducit.

Hæreticum hominem post
unam & alteram admonitio-
nem uita,

Sexta & postrema huius Epistolæ
propositio. Huc pertinet præceptum Do-
mini: Cauete à fallis Prophetis. Obseruan-
dum hoc loco Pauli præceptum, vt relin-
quamus vanos disputatores & quæstio-
narios,



EPIST. PAULI

narios, qui summum decus esse putant, intricatis & vanis quæstionibus ac sententijs perperam detortis, sanam doctrinam obscurare.

Sciens quod euersus sit, qui eiusmodi est, & peccat, ut qui suoapte iudicio sit condemnatus.

Ratio propositionis ab inutili sumpta. Frustra enim laborat, qui obstinatum hæreticum in viam reuocare studet.

Cum misero Arteman ad te aut Tychicum, stude uenire ad me Nicopolin, nam illic decreui hybernare. Zenam legisperitum & Apollo sedulo deducito, ne quid illis desit. Discant autem & nostri bona opera tueri ad necessarios usus, ut non sint infrugiferi.

Hæc familiaria sunt, nec opus habent explicatione, nisi quod addit, vt discant nostri bonis operibus præesse ad necessarios

rios usus.
emplo suo
omnibus,
cis fidei, vt
sed vt fides

Saluta
omnes.
nos in fic

Quart
in qua com
erga absen
licæ saluta
& affectib
desse,

Grati

Vt a
suam Epit
ad pia vo

A D T I T V M.

rios vsus. Vult proinde omnes pios exemplo suo docere, humaniter agere cum omnibus, præcipuè autem cum domesticis fidei, videlicet vt non sint infrugiferi, sed vt fides suum fructum adferat.


**Salutant te, qui mecum sunt,
omnes. Saluta eos, qui diligunt
nos in fide.**

Quarta & postrema Epistolæ pars est, in qua commendatur nobis affectus pius erga absentes. Monent enim tales Apostolicæ salutationes pios, vt verbis, & factis, & affectibus studeant absentibus prodesse.

**Gratia Dei cum omnibus
uobis. Amen.**

Vt à voto incepit: ita & voto claudit suam Epistolam Paulus, quod etiam nos ad pia vota excitare debet. Amen.

Y ARGV.



EPIST. PAULI
ARGVMENTVM
IN EPISTOLAM PAV-
LI AD PHILE-
MONEM.



Ntequam exegefin aggre-
diar, pauca meo more, de
occasione scriptionis, de
quæstione principali, seu sta-
tu, de summa, ac tractatio-
nis ordine dicam.

OCCASIO.

Occasio huius Epistolæ ad Philemo-
nem scriptæ hæc fuit. Onesimus seruus
Philemonis fugitiuus venit Romam ad
Paulum; cui, postquam ab eo institutus
est, ministravit in carcere. Cum igitur
Paulus videret Onesimum mutasse mo-
res, remittit eum ad Philemonem, non sine
singulari commendatione.

QVÆSTIO.

Quæstio principalis ex trium rerum
comparatione elicitur, ex triplici persona,
ex re ipsa, quæ euenerat, & ex conatu, & fi-
ne scriptionis. Paulus & Philemon perso-
næ beneuolæ, amicæ, & familiares sunt,
item,

item, Paulus
& Philemon
sio est ob
Conatus,
gratiam
Proinde q
seruum C
ipsum off
ne: hæc
sualorij.

Paulus
Onesimus
dat, rog
frugi, se
rillimum
complect

TR.

Qu
Epigram
matio 8

EXE
STO

Pa
& Ti

LI
TVM
M PAV
ILE
exegesi aggre
a meo more, de
scriptions, de
principalitima
ma, ac utique
O.
olæ ad Philem
Onesimus serus
nit Romam ad
b eo institutus
Cum igitur
um mutasse mo
monem, non sine
e.
TIO.
s ex trium rerum
x triplici persona
& ex conatu, & c
Philemon per
& familiares
m,

AD PHILEM.

item, Paulus & Onesimus, sed Onesimus
& Philemon nequaquam. Res ipsa, offensi-
o est ob furtum, & discessum Onesimi.
Conatus, vt offensus Philemon recipiat in
gratiam ministrum suum Onesimum.
Proinde quæstio est, an Paulus fugitium
seruum Onesimum Philemoni domino
ipsius offenso commendare debuerit nec
ne? hæc quæstio qualitatis est, & generis
suasorij.

S V M M A.

Paulus Philemoni fugitium seruum
Onesimum remittit, quem illi commen-
dat, rogatq; vt ipsum non solum seruum
frugi, sed etiam vt fratrem in Christo ca-
rissimum, immò tanquam propria viscera
complectatur.

TRACTATIONIS ORDO.

Quinq; sunt partes huius Epistolæ.
Epigrapha, exordium, propositio, confir-
matio & clausula epistolarum.

EXEGESIS HVIUS EPI-
STOLÆ, CVM OBSERVA-
tione doctrinarum.

Paulus uinctus Christi Iesu,
& Timotheus frater.

Y 2 Qui

4
10 11

EPIST. PAULI

Qui aliàs se Apostolum Iesu Christi, hîc se eiusdem vincitum appellat, propterea quòd suæ legationis nomine vincitus fuerit. Vnde duo colligamus, Primum, crucem prædicationi Euangelij coniunctam esse. Deinde, nequaquam ignominiosam esse crucem pro Euangelio susceptam, immò potius honorificam, adeò vt pius homo, eam pro honoris titulo vsurpare possit. Nam cruce conformes redduntur pñ imaginis filij Dei.

Philemoni dilecto & cooperario nostro, & Apphiæ dilectæ, & Archippo commilitoni nostro, & quæ domi tuæ est Ecclesiæ.

Altera pars epigraphæ, continens Primum nomen eius cui scribitur. Deinde, affectum Pauli erga ipsum, quem dilectum appellat. Tertio, officij titulum subiungit, vocans eum cooperarium. Vnde significatur, quod Philemon fuerit minister Euangelij, aut fortè præclarus ciuis, qui sua diligentia & sumtibus Apostolos iuuerit, ac cum illis Euangelium propagare stu-

re studuer
arridet. N
stros Euan
ab exemp
pñ homin
ris quædat
as, & mat
gi debeat.

Gra
patre n
Christo

Vl
tinens su
fauor De
plectitur.
Deo. Vtr
per Dom
vt omni
tum der
mur pa
Christu
Philem
tat fidu
natura
runtur.
G

AD PHILEM.

re studuerit, sed prior sententia mihi magis arri- det. Nam in multis locis Paulus mini- stros Euangelij vocat $\sigma\omega\epsilon\rho\gamma\alpha\varsigma$. Discamus ab exemplo Philemonis, quod cuiuslibet pñ hominis domus debeat esse particula- ris quædam Ecclesia, in qua paterfamili- as, & materfamilias doctoris munere fun- gi debeat.

Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Vsitata salutatio Pauli hæc est, con- tinens summa Euangelij beneficia. Gratia fauor Dei est, qua nos in filio dilecto com- plectitur. Pax est nostri reconciliatio cum Deo. Vtraq; à Deo patre proficiscitur: idq; per Dominum nostrum Iesum Christum, vt omnia humana merita conticescant. At tum demum huius gratiæ & pacis reddi- mur participes, quando firma fiducia in Christum recumbimus. Proinde optans Philemoni gratiam & pacem, simul ei op- tat fiduciam Mediatoris, & quæ cum ea natura coniuncta sunt, atq; ad eam requi- runtur.

Gratias ago Deo meo, semper
Y 3 per

EPIST. PAULI

per tui mentionem faciens in precibus meis, cum audiam tuam caritatem ac fidem, quam habes erga dominum Iesum, & erga omnes sanctos, ut communicatio fidei tuæ efficax fiat, ut agnoscatur quicquid boni est in uobis per Christum Iesum.

Exordium hoc gratulatorium est, constans tribus partibus, propositione, ratione, & complexione. Quia autem propositio paulò turbatior est, in hunc modum illustrari potest. Gratias ago Deo meo, quod audiam tuam fidem in Christum, & dilectionem erga omnes sanctos, semper mentionem tui faciens in precibus meis, precor, ut communicatio fidei tuæ efficax sit in cognitione omnis boni, quod est in uobis in Christum Iesum, hoc est, ut fides tua efficacem se ostendat in omnibus rebus bonis in Christi laudem & gloriam. Fidei autem communicatio dicitur, cum non latet intus ociosa, sed per veros effectus se profert ad homines, atque ita hæc propositio Pauli totam vitam Christianam

nam com
uocanda
stum. 2. D
tiarum ac
in omni bo
ria Christi

Grat
tam, &
ctioner
ctorum
ter,

Rat
ra. Tua
complec
ni est, is
Deo, ore
ferat in
angelij
gratias
sanctis
addere
gis. N
hoc m
no inc


AD PHILEM.

nam complectitur, quæ ad sex capita reuocanda est, quæ sunt, 1. Fides in Christum. 2. Dilectio erga proximum. 3. Gratiarum actio. 4. Oratio. 5. Fructus fidei in omni bono opere. 6. Finis omnium gloria Christi.

Gratiam enim habemus multam, & consolationem, ob dilectionem tuam, quòd uiscera sanctorum refocillantur per te Frater.

Ratio est ab adiunctis personæ sumpta. Tua in sanctos caritas, & cura qua eos complecteris, mihi gaudio & consolationi est, igitur merito pro te gratias ago Deo, oroq; vt tua fides veros fructus proferat in gloriam Christi. Hinc ministri Evangelij discant, sui officij esse congaudere gratiasq; agere, quoties fidei fructum in sanctis perspiciunt, tum etiam stimulos addere, vt in incepto cursu properent magis. Nullus enim adeò perfectus est in hoc mundo, quin opus habeat quotidiano incremento.

Quapropter, quamuis multa
Y 4 tam



EPIST. PAULI

tam in Christo fiduciam habeam imperandi tibi, id quod officij tui erat, tamen propter caritatem potius rogo, cum sim talis, nempe Paulus senex, nunc autem etiam uinctus Iesu Christi.

Complexio occupatione figurata, senex hic est. Possem tibi imperare, cum quia senex sum, tum quia uinctus Iesu Christi: Tamen tua caritas facit, ut malim rogare, ut facias τὸ ἀνῆκον, id est, quod te decet. Ex hoc loco duo discant ministri Euangelij. Vnum, summa comitate agere cum hominibus. Alterum, quod non habeant ius præcipiendi, nisi τὸ ἀνῆκον, id est, in Christo Iesu. Habent enim ministri Euangelij potestatem sibi à Deo donatam in ædificationem, & non in destructionem.

Rogo te pro meo filio, quem genui in uinculis meis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc tibi & mihi utilis est, quem remisi.

Hæc

AD PHILEM.

Hæc Epistolæ principalis est propositio, duplici ratione exornata. Nam Primū cur eum commendat, indicat, nempe quia filius est, quem genuerat prædicatione Euangelij. Deinde à personæ adiunctis, & collatione per prolepsin rationem attexit. Poterat enim Philemon ægrè ferre sibi furacem seruum remitti. Quare facta collatione iam alium eum esse dicit. Decet enim vt Christiani mores sua professione dignos induant.

Tu autem eum, hoc est, mea uiscera suscipe.

Induit Onesimum sua persona, vt sit Philemoni commendatior. Hinc discite, quanti pius Euangelij prece aestimare debeat hominis ad Deum conuersionem.

Quem ego uolebam apud me detinere, ut pro te ministraret mihi in uinculis Euangelij.

Hoc plurimum facit ad molliendam iram Philemonis, quòd audiat ministrum Apostolo, idq; suo nomine ministrasse. Vnde & nos discamus, quæ officia debeamus eis, qui nomine Euangelij affliguntur.

Y S Sed

EPIST. PAULI

Sed absq̄ tua sententia nihil uolui facere, ne uelut ex necessitate bonum tuum esset, sed spontaneum.

Præsumtio est, posset enim obijcere Philemon, Cur igitur non retinuisti eum? Respondet, beneficentia grata Deo esse nequit, nisi sit spontanea. Necessitas hîc uoluntati opponitur. τὸ ἀγαθὸν beneficentiam significat. Fluit proinde hoc dictum Pauli ex generali doctrina, nempe quod nihil placeat Deo nisi ex animo spontaneo proficiscatur.

Nam propterea forsitan secessit ad tempus, ut æternum eum reciperes.

Mitigat discessum Onesimi ab euentu. Sæpe enim ex euentu scriptura de facto iudicat. Non sanè fuit consilium serui fugitiui ut rediret ad dominum, ac ei postea perpetuo seruiret. Verum quia hic fuit euentus, dicitur Onesimus ideo secessisse.

Non iam ut seruum, sed supra seruum, nempe fratrem dilectum

AD PHILEM.

lectum maximè mihi, quanto
autem magis tibi & in carne &
in Domino.

Argumentum à comparatis. Onesimus est frater meus, & mihi admodum dilectus, quanto magis tibi dilectus esse debet, cui coniunctus est, non solum in Domino per fidem, verum etiam in carne. Nam membrum vtile in tua familia existit.

Si igitur me habes consortem, assume ipsum tanquam me.

Conclusio est ex superiori argumento, cuius hæc vis est. Onesimus est meus in Domino frater, quem si reieceris, me quoque reijcies. Quare si vis me consortem tui, non poteris hunc communem nostrum fratrem reijcere.

At si quid læsit te, aut debet, hoc mihi imputato, ego Paulus scripsi manu mea, ego dependam.

Præsumtio est. Poterat Philemon obdamnum sibi factum tergiuersari, quo minus



EPIST. PAULI

nus eum reciperet. Quare Paulus sibi istud imputandum cupit, & promittit se soluturum, dato proprio chyrographo.

Vt non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes.

Prolepsis est, & simul argumentum à comparatis. Tu debes teipsum mihi, proinde multo magis exiguum damnum meo feres nomine. Obseruandus locus est de mutuo iure piorum inter sese, & debito ex obligatione naturali seu diuina.

Etiam frater, ego te fruam in Domino.

Confidentis est, quasi dicat: Certus sum, te præstiturum mihi quod peto, vt inde mihi aliquod gaudium in Domino accedat. Est enim hic frui, vt amici officio cum gaudio. Verum quia addit in Domino, finem huius beneficij præstandi gloriam Dei facit, vt eius cogitatione animus Philemonis ad misericordiam flectatur.

Refocilla uiscera mea in Domino.

πάθος est vehemens, quo percellit animum

AD PHILEM.

num Philemonis, ac si diceret, Quid multis? Onesimum tanquam viscera mea atque adeo, ut cor ipsum mihi charum esse scito. Quare quicquid ei feceris, mihi factum esse putes.

Confusus de obedientia tua scripsi tibi, sciens quod etiam ultrà quàm dico, facturus sis.

Prouocat Philemonem, ut magis faciat quàm postulabat ab ipso. Solet enim fieri, ut qui videt quenquam benè de se sentire, meliorem sese vicissim erga ipsum exhibeat.

Simul etiam autem præpara mihi hospitium.

Nec hoc nihil facit ad principalem propositionem. Sunt enim qui amicos præsententes magis reuerentur, unde Philemon expectatione Pauli ad se, non parum mouetur, ad præstandum quod petit Paulus.

Spero enim quod per preces uestras donabor uobis.

Ratio est proximæ propositionis, in qua utilissima doctrina obseruanda est, de
utili-



EPIST. PAVL. AD PHIL.

Utilitate precum Ecclesie pro ministris
verbi, adeoque pro omnibus rebus saluta-
ribus. His enim verbis monet Paulus, in
quouis periculo ad preces Ecclesie confu-
giendum esse.

Salutant te Epaphras con-
captivus meus in Christo Iesu,
Marcus, Aristarchus, Demas,
Lucas, adiutores mei.

Familiares salutationes absentium fa-
ciunt ad retinendam & fouendam amici-
tiam. Concaptivus in Christo Iesu, id est,
propter Christum Iesum, hoc est, propter
predicationem Euangelij de Christo Iesu.

Gratia Domini nostri Iesu
Christi cum spiritu uestro,
Amen.

Claudit suo more Epistolam pio vo-
to. Sententia est, Gratia Christi adsit ve-
stro spiritui, eumque roboret & confirmet,
ut in salutis cursu usque ad finem con-
stantes perseveretis, Amen.

F I N I S.

PHIL.

ro ministris
rebus saluta-
ret Paulus, in
ecclesie confu-

phras con-
Christo Iesu,
us, Demas,
i.

es absentium fa-
uendam amici-
tate Iesu, id est,
hoc est, propter
Christo Iesu,

nostri Iesu
uestro,

solam pio vo-
luntate adhi-
re & confirmet,
in finem con-
Amen.



